MANVALE
THOMISTICARVM
Controuerſiarum.

Illustriss.^mi & Reuerendiss.^mi D. D.

FR. REGINALDI LVCARINI

S. Theolog. & S. Olim Pal. Apost. Mag. Episc. Ciuitatis Plebis, Ord. Præd.

MANVALE TOMISTICARVM CONTROVERSIARVM

In duas Partes distributum.

ACCESSERVNT

ANIMADVERSIONES

QVÆDAM


In Textu Operum

S. THOMAE

Summorumque Rom. Pontificum

Bullæ, Breuia, & Sermones,

Quibus ostenditur quam grata, & recepta semper fuerit in Ecclesia Catholica huius Sancti doctrina.



ROMÆ, MDCLXVI.

Apud Successores Vitali Mascardo,

SVPERIORVM PERMISSV.

IN


PRIMA PARTE
MANVALIS

S. Thomas Aquinas Doct. Angel. ab omni hucusque obiecto errore vindicatur

IN

SECVNDA PARTE

S. Thomas Aquinas Doct. Angel. in suis sententijs semper constans ostenditur.



ALEXANDRO
SEPTIMO
Pontifici Maximo.



F. REGINALDVS LVCARINVS
Episcopus Ciuitatis Plebis.

BEATISSIME PATER.



HOMAE Aquinatis nostri Ordinis Prædicatorum Angelicæ doctrinę radios animis caligine offusis opusculo, quod *Manuale Controuersiarum Thomisticarum* nominaui, inferre

labo-

laboro, ſed vt felici tuo ſidere labor meus illuſtretur, & faces, quas SOLI præfero, ſtellæ tuæ ſplendore cumulatæ intimos refragrantium ſenſus illuminent, illud ſub tui ampliſsimi nominis claritate publicare decreui, quod tibi ſummoperè iucundum futurum non ambigo; nam ſicut quamplurimos Prædeceſſores tuos gloria prçcedis, cùm generis nobilitas, morum innocentia, ſcientiarum peritia, Paſtoralis ſolicitudo, reparãdæ pacis ſtudium, retinendę dignitatis zelus, cunctaque magna in eis diuiſim ſparſa, in te vno adunata conſpirent, ita in D. Thomæ probanda doctrina, eorum probationes, & encomia excesſiſti, dum ad Louanienſes ſcribens, inconcuſſa, tutiſſimaque Thomæ dogmata ſanxiſti, eiuſque nomen penes Catholicos vniuerſos ingens, & omnem laudem ſupergreſſum,


7. Augusti 1660.

greſſum,

greſſum, ita vt noui præconij commendatione non egeat, pronunciaſti. Thomam ergo nullis tenebris offuſum ſidus, prout in hoc opuſculo conuincitur opera humillimi, & immenſis beneficijs deuinctiſsimi ſerui tui beneuolo excipias animo P. Beatiſsime. Inde fiet vt ſol iſte in Clypeum, qui eſt eius doctrina, Paulo V. teſte, refulgens, Chiſij montes ab eo reſplendeant, feliciterque elidat Ecclesia Catholica aduerſantium tela, dum Clypeo Thomæ doctrina armatum Caput ſuum habet Alexandrum.

In ſuo Breui, qui incipit ſplē, didiſſimi catholicæ fidei.

CON-



CONSILIVM AVTHORIS.




SANCTVS Tho. Aquinas Ecclesiæ Doctor Angelicus, ad instar fulgentissimi solis, adeo scriptis suis, quæ in Scholis agitantur, difficilia illustrat, vt eius doctrina vniuersæ ferè inter Scholasticos exortæ quæstiones facilè dissoluerentur: Verùm ea est humani ingenij infelicitas, vt quidam, prætermissa veritatis luce, si in lucem irruant, in magnam existiment deuenisse felicitatem; Vndè factum est nun-


nunquam defuisse versutos operum S. Thomæ scrutatores, qui in omnem se inquisitionis reperiundæ accusationis non extenderent, & cum doctrina Angelici quærentibus sit cognita, persequentibus autem fiat occulta, qui persequendi affectu S. Thomæ scripta legerunt, non intelligentes, quæ legebant, arbitrati sunt multa in eis inueniri, vndè redargui mererentur. Oppugnatores Sancti Thomæ validi propugnatores semper exterminarunt. Hoc nostro sæculo dedit Deus Doctores eximios, qui falsas calumnias, vel olim expositas, vel nuper suscitatas, ne dum incidentèr dum Tractatus Theologicos ederent, sed etiam ex professo veris responsionibus confutarent. Inter hos vidimus Franciscum Syluíum in Apologijs pro S. Th. Dominicum Grauinam præcipuè in Libro, cui Titulus *Cherubin Paradisi*, Alphonsum Baptistam hispanum in Defensione Apologetica contra Authorem Elucidarij, quam ex Hispano idiomate lati-

nam fecit Fr. Ioannes Paulus Nazarius in Opuſculis, & Ioannem à S. Thoma in ſua ſæpius laudanda diſputatione de Approbatione doctrinæ S. Thomæ. Nos quoque viribus licèt exiguis, S. Doctoris meritis confiſi, in propugnanda veritate eius doctrinæ aliquale ſtudium adhibuimus, quo Concluſiones præcipuas collegimus, de quibus S. Tho. vel erroris, vel contrarietatis, ſeu inconſtantiæ ſugillatur, eaſque ab huiuſmodi calumnijs non alia via, quam ipſamet S. Doctoris voce demonſtrata vindicauimus; confidimus enim, ne dum Angelici doctrinæ integritudini, verùm & totius Eccleſiæ bono expedire demonſtrare ab omni erroris offuſcatione cenſendam eſſe apud Catholicos alienam doctrinam illius eiuſdem Eccleſiæ Doctoris; ex cuius contemptu execrabilis Hæreſiarcha Lutherus ſuas impietates fuerat auſpicatus, de quo in Hiſtoria Concilij Tridentini inſignis Cardinalis Pallauicinus Lib. primo cap. 8. num. 5. ita compertum narrat, *Per*

ciò

ciò si mosse Lutero non pur à vilipendere S. Thomasso, & il çomun sentimento delli Scolastici, mà l'autorità del Papa, e della Chiesa, e le traditioni: Iudicarunt Viri præcipui laborem hunc nostrum, si publici iuris fieret, vtilem saltim Tyronibus, qui S. Thomæ Scholam sequuntur, euasurum; Nam in eo opposita iuxtà se posita intuentes, habent in promtpu Aduersariorum Argumenta, quibus puritati Doctrinæ S. Thomæ detrahitur, & responsiones, quibus & ipsi eius puritatem attingant, & eos, qui contradicunt, possint arguere. Vtinam ita succedat, & dum S. Thomæ defensionis partes assumimus, eius Angelica doctrina in Ecclesia summis Elogijs aucta, & recepta oculis etiam minus valentibus sua luce clara, pura, & candida, vt verè in se est, illucescat.





ELOGIA,

Quibus Doctrina S. Thomæ in Ecclesia Catholica augetur, & recipitur.



ERVM quia nos non sumus satis ad tantæ præconia laudis, hic adduximus præcipua elogia, quibus apparet quam grata, & recepta semper fuerit in Ecclesia Catholica S. Thomæ doctrina.

Omnium primum, maximum, & potissimum est elogium illud, quo Christus

ſtus Dominus Neapoli S. Doctore orante, & audiente de Crucifixi effigie humana voce ſcripta eius probauit, dum dixit: *Benè ſcripſiſti de me Thoma*; de quo Pius V. in Bulla *mirabilis Deus* mentionem faciens, ait: *Altare, in quo Doctoris Angelici doctrina, Saluatoris Crucifixi ore (ſicut pia teſtatur Hiſtoria) mirabiliter probata fuit*. Clemens quoque VIII. in ſuo Breui ad Deputatos è Ciuitate Neapolitana, inquit, *Thoma Aquinate, cuius doctrinæ tantum fuit tributum, vt chriſtianæ eruditionis ſuæ diuinum etiam illud habeat teſtimonium*, BENE DE ME THOMA SCRIPSISTI; & iterum in alio Breui dicit, *quos (ſcilicet Libros) ille (hoc eſt S. Thomas)* SINE VLLO PRORSVS ERRORE *conſcripſit, & quos deindè conſcriptos expræſſa Chriſti Domini voce comprobatos audiuit*.

Accedant nunc elogia, quibus doctrinam Sancti Thomæ Summi Romani Pontifices extulerunt, quorum Bullas,

&

& Breuia in huius operis fine ad verbum transcripta leguntur.

Ioannes 22. in Bulla Canonizationis S. Thomæ ita loquitur: *nam & in primitiuis scientijs, & diuersæ philosophiæ partibus, vt non esset ociosus, sed operaretur terram, nec non in Sacræ scripturæ pagina tam super nouum, quam vetus Testamentum scripta, plurimaque alia,* DEI OPERA, *in Dei laudem, fidèique dilatationem, eruditionemque studentium, clara (cum sciens esset) famosa (cum cognitus)* NON ABSQVE SPECIALI DEI INFVSIONE PERFECIT.

Vrbanus V. in Bulla ad Tolosanos directa ait: *Insuper & tenore præsentium vobis iniungimus, vt* DICTI B. THOMÆ DOCTRINAM *tanquam benedictam, & catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare.*

Extat in Syllabo Magistrorum Sac. Pal. Ap. Authore Fontana impræsso Rom 163. pag. 36.

Pius V. in Bulla erectionis Canonicatus S. Petri in Vaticano pro Præbenda Theologali Data Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo

mo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto, Idibus Auguſti, Pontificatus quinto, cuius initium: *In eminenti militantis Eccleſiæ ſpecula*, inquit: *Attendentes D. Thomæ, qui Theologiæ, & Ord. Prædicatorum profeſſor fuit*, DOCTRINAM THEOLOGICAM *ab Eccleſia Catholica receptam, alijs magis tutam, & ſecuram exiſtere*, & iterum in Litteris, quæ incipiunt *Mirabilis Deus*, ſic ait: *nam & miraculorum ſignis, quibus ſerui ſui Thomæ perpetua veræ pietatis opera, nobilitare voluit inexhauſta Dei benignitas, & certiſſima chriſtianæ regula doctrinæ, qua Sanct. Doctor Apoſtolicam Eccleſiam infinitis confutatis Hæreſibus illuſtrauit, adductus fel. record. Ioannes 22. prædeceſſor noſter, illo in ſanctorum numero relato, diem feſtum nonis Martij, quo die nunc etiam colitur, anniuerſario honore celebrari iuſſit. Sed quoniam Omnipotentis Dei prouidentia factum eſt, vt Angelici Doctoris* VI ET VERITATE DOCTRINÆ, *ex eo tempore, quo cœle-*

ſti-

stibus ciuibus adscriptus fuit, multæ, quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ, & conuictæ dissipantur, quod & antea sæpè, et liquidò nuper in Sacris Tridentini Concilij Decretis apparuit, eiusque memoriam, cuius meritis Orbis Terrarum à pestiferis quotidiè erroribus Liberatur &c.

Clemens VIII. ad Deputatos è Ciuitate Neapolitana sic ait: *Ciue vestro (scilicet S. Thoma Aquinate)* DIVINÆ VOLVNTATIS INTERPRÆTE.

Idem ad Proregem Neapolitanum iterum: *Thomam Aquinatem, cuius diuino eloquio,* ET CÆLESTI DOCTRINA, *miraculisque illa quidem illustris meritò apud remotissimas nationes summa christiani nominis cum laude, atque Ecclesiæ vtilitate celebratur.*

Idem iterum: *doctrinæ quidem testis est ingens Librorum numerus, quos ille breuissimo tempore in omni ferè disciplinarum genere singulari ordine, ac mira perspicuitate* SINE VLLO PRORSVS ERRORE *conscripsit, in quibus conscribendis*

inter-

interdùm Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei iussu ennarantes habuit.

Paulus V. sic ait: *Splendidissimi catholicæ fidei athletæ B. Thomæ Aquinatis, cuius scriptorum clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter elidit.*

Sanctissimus Dominus Noster Alexander VII. in suo Breui ad Louanienses 7. Augusti 1660. sic loquitur: *Nec non præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimaque dogmata.*

Huius tantorum Rom. Pontificum vnanimis sententiæ veritas palàm in Sac. Tridentina Synodo enituit, vt testatur Pius V. in sua Const. supracit. Baronius in Notis ad Martyrologium septima Martij, & inter eos, qui eidem Concilio interfuerunt, Doctor Didacus Paiua Lusitanus Tom. 2. de Sanctis serm. 2. de S. Thoma. Io: Gallio Burgensis in ibidem habita oratione impræssa; & Hieronymus Vielmus Episcopus Argoli-

censis, qui in suo opusculo de D. Thomę Aquinatis scriptis, quod in eodem Conc. edidit hæc testis de visu retulit: *Certè in Tridentina Aecumenica Synodo, quam cũ hæc scribimus, frequentissimam celebramus, nemo Patrum esse videtur, cui Religio non sit, cum de fidei dogmatibus agitur, à Thomæ sententia vel latum vnguem recedere*, quod F. Ioannes Gallio Burgensis in præfata oratione Tridentinis Patribus coram confirmauit, cum dixit: *communibus votis eos existimasse, si quid ambiguitatis, si quid controuersiæ exortum fuisset, ad summam S. Thomæ vt ad Lydium lapidem esset referendum*.

Quapropter in eodem Sac. Conc. vt refert, præter Doctorem Paiuam testem de visu loco adducto, Card. Pallauicinus, qui cum nihil scripserit, quod ex certis illorum temporum monumentis non comprobauerit, oculati testis fidem obtinet; suæ Historiæ Lib. 17. cap. 11. à num. 14. ad 17. Cum Alphonsus Salmeron Soc. Iesu, & Franciscus Turrianus

seu

ſeu Torenſis Theologi Pontificij commouiſsent Patres in ipſa ferè ſeſſionis 21. celebratione ad declarandum verba Chriſti Domini Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem* , dicta fuiſse tantum ad Sacerdotes, pluresque in eorum ſententiam ita inclinarent, vt exiſtimaretur in ſeſſione probanda ; admoniti à Petro Guerrero Archiepiſcopo Granatenſi in doctrina D. Thomæ verſatiſſimo S Doctorem in ea fuiſse ſententia , verba prædicta ad laicos etiam directa fuiſse, vt ex allato Codice 3.p. quæſt. 80. art. 11. oſtendebat , ferè vniuerſi ſtatim ſe S. Doctoris ſententiæ conformarunt.

Nec prætermittendum puto , quod narrat Spondanus Anno 1406. num. 12. de Paulo Burgenſi, qui cum eſset Iudæus,& Iudaicę perfidiæ doctor præcipuus, ex lectione ſcriptorum S. Thomæ Iudæam deſeruit, & venit ad Catholicam Eccleſiam. quam doctrina , & virtute ita illuſtrauit , vt meruerit ad Epiſcopatum

Burgenſem promoueri.
Qui optaret D. Thomæ elogia, ac decora fuſiùs enarrata cognoſcere, & egregiè propugnata conſpicere, adeat ſupradicti Vielmi Epiſcopi Librum de ſcriptis S. Thomæ, Veſtibulum diſputationum Ioannis de S. Tho; quas in p. S. Doctoris partem edidit. Franciſci Siluij Apologiam Duaci impræſſam anno 1624. Dominici Grauinæ opuſcula, & Præſcriptiones, præcipuè Tomi 3. par. primam pag. mihi 721. aliorumque plurium Tractatus ſatis notos. Nobis breuitatis ſtudioſis hæc ſufficiant S. Thomæ doctrinæ candidatis adduxiſſe, vt eis primus diſcendi ardor nobilitas ſit tanti Magiſtri.



PRIMA

PRIMA
PARS
MANVALIS
THOMISTICARVM
Controuersiarum

SIVE

CONCLVSIONES

Ecclesiæ Doctori Angelico


S. THOMAE

Aquinati attributæ, ab omni prorsus falsitatis, seu erroris suspicione vindicatæ

STVDIO

Ill.^mi & Reu.^mi D.D.

FR. REGINALDI LVCARINI Ord. Prædicatorum Sacræ Theologiæ, & S. Olim Pal. Apostol. Magistri Episcopi Ciuiplebis.



INDEX CONCLVSIONVM,

Quæ S. Thomæ Doctori Angelico attribuuntur,

Sed eius doctrinæ veritas in hac prima parte Manualis Thomisticarum Controuersiarum reseratur.



I SINE ſolemni profeſſione non fit Religioſus.

II Solemnitas Voti conſiſtit in aliqua conſecratione ex Apoſtolica traditione, & iure diuino.

III Summus Pontifex non poteſt in

Voto

Voto ſolemnizato per profeſſionem religioſam diſpenſare.

IV In Religione cum Voto ſimplici paupertatis non poteſt cohærere dominium.

V Pater, & Filius poſſunt dici duo ſpiratores Spiritus Sancti.

VI Hæc Propoſitio, *Filius Dei aſſumpſit hominem*, non eſt hæretica.

VII Hæc Propoſitio, *Ille homo cæpit eſſe Deus*, eſt falsa, ſed non hæretica.

VIII Homo ſine auxilio Dei gratuito poteſt ex ſolo libero arbitrio ſe ad gratiam, & ad fidem præparare.

IX Determinatio ad vnum numero non tollit rationem meriti, & laudis, ſi actus non coactè, ſed ſpontè quamuis neceſsariò fiat.

X Infideles non cognoſcunt verum Deum.

XI Deus non poteſt creare aliam Terram, præter iſtam, quam habemus.

XII Poſ-

XII Possibilis est creatura existens absoluta necessitate,

XIII Eucharistia est actualis consecratio

XIV Christus Dominus benedixit panem non alijs verbis, vel modo, quam consecratione

XV In consecratione Calicis illa verba, *noui & æterni Testamenti*, sunt essentialia, sicut illa, *Hic est sanguis meus*.

XVI In eo, quod generatur ex speciebus Eucharistiæ, non manet materia substantialis, sed quantitas loco materiæ.

XVII Si admisceatur Vino consecrato aliud Vinum non consecratum, non remanebit ibi sanguis Christi.

XVIII Ad perficiendum Sacramentum non requiritur in ministro mentalis intentio, sed sufficit intentio faciendi externas actiones, quas Christus instituit.

XIX Si etiam per errorem aliquis non

baptizatus Sacerdos, vel Episcopus ordinaretur, piè creditur quod in ordinatis, & absolutis ab ipso Deus suppleret defectum quantum ad effectus Sacramentorum.

XX Imago Christi est adoranda adoratione latriæ.

XXI Anima Christi Domini in triduo mortis suæ non descendit ad omnia loca Inferni.

XXII Animæ Christi Domini in triduo mortis fuit aliquá pœna esse in Inferno.

XXIII Aliud fuit Corpus Christi viuum, & mortuum.

XXIV Erroneum est dicere quod aliqui seminaliter ex Adam deriuentur absque originali peccato.

XXV Dum celebratur festum Conceptionis B. Virginis nomine Conceptionis intelligitur sanctificatio.

XXVI Episcopatus non est Sacramentum.

XXVII Ex sponsalibus irritis non oritur

tur impedimentum publicæ honestatis.

XXVIII Ex Matrimonio rato oritur affinitas.

XXIX Papa non poteſt diſpenſare in Matrimonio rato extra caſum Profeſſionis Monaſticæ.

XXX In Canonizatione Sanctorum piè tantum creditur Eccleſiam, ſeu Sum. Pontificem errare non poſſe.

XXXI Exiſtens in peccato mortali (etiam occulto) peccat mortaliter faciens ex officio correctionem fraternam.

XXXII Reliquiæ Sanctorum, quas veneratur Eccleſia, vt oſſa, corpora &c. non ſunt illa, quæ in viuis fuerunt, ſed alia nouæ planè ſubſtantiæ, quæ nunquam Sanctorum fuerunt.

XXXIII Beatitudo Animæ poſt diem Iudicij reſumpto corpore augebitur intenſiuè.

XXXIV Episcopi, vel alij Clerici amittunt iurisdictionem ipso facto, quo deueniunt hæretici, vel Schismatici, ante sententiam, qua tales denuncientur.
XXXV Prima Tonsura, & Ordines Minores conferri possunt ante discretionis annos sine peccato.
XXXVI Clericus, si occidat aliquem se defendendo, incurrit irregularitatem.
XXXVII Votum de re, quæ necessaria est necessitate præcepti, est Votum largè acceptum, & impropriè dictum.
XXXVIII Nullum ieiunium est sub præcepto toto tempore Paschali.
XXXIX Propitiatorium fuit Tabula lapidea.
XL Ecclesiastici authoritas non recipitur.
XLI Zona æquinoctialis est inhabitabilis.
XLII Inter Cœlos datur spatium diuisibile

sibile alicuius corporis, ita ut sphe-
ræ non sint sibi contiguæ.

XLIII Tantùm sunt decem Cœli, numerando etiam Empyreum.

XLIV Cœlum, & Luminaria Cœli secundum opinionem Aristotelis sunt animata, à qua opinione S. Thomas non abhorruit.

XLV Angelos simul cum natura corporea non fuisse creatos dicere, non est erroneum.

XLVI Sententia S. Thomæ de vnitate formæ substantialis in homine, teste Ocham, scandalosa fuit olim in Anglia; Immò, vt quidam, apud facultatem Parisiensem, erat Articulus XIV. quintæ partis erronei Libelli de Euangelio æterno damnatus per Alexandrum IV.

XLVII Summus Pontifex non potest committere Sacerdoti non Episcopo quod conferat Subdiaconatum, Diaconatum, & Sacerdotium.

XLVIII Sa-

XLVIII. Sacerdos excommunicatus non potest ministrare Sacramentum Pœnitentiæ in articulo mortis.

L A V S D E O.



Im-

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. Patri Mag. Sac. Pal. Apost.

O. Archiep. Patracen. Vicesg.

VIDI de mandato Rmi. P. Mag. S. P. Ap. Primam, & Secundam partem Manualis Controuersiarum Thomisticarum, seu de Veritate doctrinæ Angelici Præceptoris D. Thomæ, Auctore Illustriss. & Reuerendiss. Fr. Reginaldo Lucarini Episcopo Ciuitatis della Pieue; Cumque nil repererim sacris documentis, & probis moribus contrarium, pergrata præterea mihi fuit totius operis lectio, ac inspectio, eademque visa est futura, & perutilis, & prædulcis cunctis solidæ, profundæ, subtilis doctrinæ studiosis, & ad pulcherrimam veritatis, veræque sapientiæ faciem (qui sunt legitimi characteres operum Angelici Præceptoris) syncero affectu ardenter intentis. Quia doctissimus Præsul, idemque magni Magistri magnus discipulus summa cum diligentia, & pari cum perspicacia enubilat dilucidè, tueturq; validissimè sententias, & apices sententiarum D. Thomæ vbicunque, abstrusæ, ancipites, & quoquomodo difficiles alioquin videri vel maximè possent. Id insuper est in hoc opere insigni laude, & multa gratiarum actione dignissimum, quòd in vrex. se contentiosæ, & obnoxiæ amaritudini vindicijs vniuersim agnitæ, agit nihilominus Author pacatè semper, & placidè, modestiæ religiosæ, & grauitatis Episcopalis retinentissimus vbique. Expedit itaque, vt quam primum typis mandetur in publicam vtilitatem vtilissimum istud, omnibusque laudum titulis illustre opus. Datum in Collegio Romano Societatis Iesu 29. Decembris 1665.

Martinus de Esparza Societatis Iesu.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apostolici Magister.

IN PRIMAE PARTIS MANVALIS HVIVS THOMISTICARVM CONTROVERSIARVM SINGVLIS Conclusionibus,

Primus Numerus exponit, quod Sancto Thomae attribuitur.

Secundus Numerus refert, quod censetur esse S. Thomae doctrinae contrarium.

Tertius Numerus indicat quae S. Thomae doctrinae euincunt aduersa.

THOMISTICARVM CONTROVERSIARVM CONCLVSIONES

I.

1 *Sine solemni Professione non fit Religiosus.*

2 *Sine solemni Professione fit Religiosus.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio Sancto Thomæ attributa

Sine solemni Professione non fit Religiosus.

1 

THOMAS 2.2.q. 189. ar. 2. ad primum sic ait. *Ad primum dicendum quod duplex est Votum; vnum solemne, quod hominem facit Monachum, vel alterius Religionis Fratrem, quod vocatur Professio; & tale Votum debet præcedere annus probationis, vt probat obiectio. Aliud autem est Votum simplex, ex quo aliquis non fit Monachus, vel Religiosus, sed solum obligatur ad religionis ingressum, & ante tale Votum non oportet præcedere probatio-*

nis annuo. Item ibidem quæst.184. art.4. dicit: *In statu perfectionis dicitur aliquis esse propriè ex hoc, quod obligat se perpetuò cum aliqua solemnitate ad ea, quæ perfectionis sunt* & quodlibet.1.art. 14. ad secundum, inquit, *non dicuntur habere statum perfectionis, nisi, qui se ex solemni professione ad huiusmodi obligant.*Idem repetit op.18. Cap.16.in fine dicendo: *Cum quadam solemnitate, & benedictione status Pontificalis assumitur, & etiam Religionis Professio celebratur.*

Conclusio quæ censetur Sancto Thomæ opposita.

Sine solemni Professione fit Religiosus.

2 ITa Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit *Ascendente Domino*, sub his verbis *prædictos Scholares, & Coadiutores* (Soc. IESV) *semper fuisse, & esse, & fore verè ac propriè Religiosos, & ipsorum Vota, etsi simplicia, ex sedis Apostol. institutione esse verè substantialia Religionis Vota*:oppositum verò declarat esse falsum, & temerarium.

Idem decreuit Conc.Triden. Sess.25.c.16. de Regular. nam ibi, nulla facta distinctione graduum Scholarium Coadiutorum,& Professorũ,absolutè Societatem IESV appellat *Clericorum Religionem*,ergo sine solemni Professione fit Religiosus. Probatur consequentia; nam Scholares post biennium, & Coadiutores in dictæ Societatis Religione profitentur per Vota simplicia, & tamen fiunt verè Religiosi.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

3 SIxtus V. qui in Pontificatu successit Gregorio XIII. conditori supradictæ constitutionis, in sua Bulla,

quæ

quæ incipit, *Ad Romanum spectat*, quam refert Quaranta in sua Summa Bullarij, Verbo *Monasteria*, *&* *Conuentus*, loquendo de Religionibus vniuersis, & consequenter etiam de Soc. IESV dixit §. *quoad autem pertinet; quia tunc demùm verè, & propriè Religiosi effici dicuntur, cum professionem emittunt*. Ex his patet S. Thomæ loquendi modum de professione religiosa post Gregorij constitutiones, & Conc. Triden. Decreta, Sum. Pontif. Sixtum V. retinuisse, quo S. Doctor in sua doctrina tradita, nec Sum. Pontificis Gregorij decisioni, nec S. Conc. Trid. verbis, nec Instituto Soc. IESV contradixit.

4 Ad cuius euidentiam suppono Votum simplex in sensu formali, hoc est, ex natura sua, non facere religiosum, aliàs omne Votum simplex id haberet, quod falsum esse constat.

5 Hoc supposito, dico Voto simplici competere posse facere Religiosum ex institutione Ecclesiæ, & de facto Viros Societatis Votis simplicibus veros Religiosos fieri, prout decreuit Greg. XIII. in Bulla *Ascendente*, dum inquit, *tria Vota huiusmodi, etsi simplicia, ex huius sedis institutione, ac nostra etiam declaratione, & confirmatione, esse verè, & substantialia*

6 *Religionis Vota*. Quia verò, viuente D. Thoma, nulla Religio à sede Apost. recipiebatur, in qua Religiosi ex solis simplicibus Votis fierent; nam illis temporibus tantum ab Ecclesia pro Religionibus habebantur, in quibus solemnis professio emittebatur. Inde est S. Doctorem locutum esse de facto suis temporibus ex Voto simplici neminem fieri Religiosum, hoc est, nec Monacum, nec Fratrem Religionum in Ecclesia tunc vigentium fieri, nisi eum, qui solemniter professus esset.

7 Quem modum dicendi obseruauit post aliqua tempora Sum. Pont. Bonifac. VIII. cap. *Religioso §. Quamuis de Sent. Excom. in 6. vbi sic ait*. *Quamuis autem is, qui religionem ingreditur religiosus cum effectu censeri non possit, donec sit tacitè, vel expressè professus* id autem dixisse Sum. Pontif. certum est, attenta illorum

rum temporum conſuetudine ; nam ſi abſolutè Bonifacius pronunciaſſet non poſſe cum effectu cenſeri Religioſū donec ſit profeſſus, quomodo Scholares, & Coadiutores in Soc. ſemper fuiſlent, eſſent, & forent Religioſi ex Greg. XIII. declaratione ; cum non ſint, nec tacitè, nec expreſsè profeſſi, vt communiter Doctores Societatis tradunt, & Card. Lugo probat Reſp. Moral. Lib. 4.
8 dub.44. Dicendum eſt ergo, quod ſicut Greg. nouum Ius condens, Bonifacio, qui Ius antiquum retinuit, non contradicit ; nec ex eadem ratione S. Doctor, dum iuxta ætatis ſuæ vſitatum loquendi modum ſcriberet, Gregorij Decreto aduerſatur. Sit exemplum ; modò
9 quiſque docere tenetur Matrimonium irritum eſſe, quod ſine Parocho, & Teſtibus celebratur : ex hoc tamen non ſequitur ante Conc. Trident. quod loco infrà citando illam irritationem decreuit, Doctores erraſſe, qui negabant Matrimonium clandeſtinum ſine Teſtibus, & Parocho celebratum irritum eſſe: nam pro illo tempore clandeſtinum Matrimonium irritum non erat, ſed ratum, & verum Matrimonium, vt dicendum eſſe ſub anathemate præcipit Concil. Trident. ſeſſ. 24. Cap. 1. ſed poſtea Eccleſia in Conc. Trid. ibidem Matrimonium
10 clandeſtinum irritauit. Ità pariter antiquitùs, nedum S. Thomas, ſed omnes Theologi, & Canoniſtæ communi conſenſu dixere *neminem ſine ſolemni profeſſione Religioſum effici poſſe*, loquendo ſcilicet ſecundum Ius commune ſuorum temporum ; prout etiam fatetur Azorius inſignis Soc. Doctor, inſtit. Tomo primo Lib. 11. Cap. 24. §. *Tertio quæritur* ; poterat tamen Eccleſia religioſos ſolis ſimplicibus Votis emiſſis conſtituere, vt fecit poſtea conſtituendo veros Religioſos Viros Societatis, qui ſimplicia tantum Vota in gradibus Scholaris, & Coadiutoris emittunt, de quo nouo Iure non egerunt Doctores antiqui : vnde dicendum non eſt eos erraſſe, quando requirebant in vero religioſo iuxtà illorum temporum vſum, & de facto ſolemnem profeſſionem, nec errauit S. Thomas idem aſſerendo, dum loqueretur iuxtà ſuorum temporum vſum,

&

& de facto. Vide infra. num. 318. & 324.

11 Cum verò Sanctus Doctor rem hanc altiùs, & perspicaciùs cæteris tractaret, docuit aliter dicendum esse, si ageretur de possibili; nam docuit verum Religiosum etiam esse possibilem Votis tantum simplicibus emissis in aliquo Cœtu, si Ecclesiæ institutum accessisset, quo hunc verum Religiosum declararet.

12 Id probatur primo ex op. 18. cap. 15. vbi S. Doctor docet. *Si quis totam vitam suam Voto Deo obligauit, vt in operibus perfectionis ei deseruiat, iam simpliciter conditionem, vel statum perfectionis assumpsit*. Idem dixit 2.2. quæst. 186. art. 6. Ex his patet quocumque Voto simplici, vel solemni (nam S. Doctor de quocumque Voto loquitur) assumi posse statum perfectionis, qui de facto assumitur in omni Religione, vt ipse docet 2.2. eadem quæst. 186. art. 1. ad quartum, & art. 3. & 4. Si vouens per totam vitam se obligat in operibus perfectionis deseruire, & se immobilitat in religione immobilitate, Voto firmata, vt idem S. Doctor dixit vbi supra art. 6. ad primũ. Ista autem obligatio per totam vitam, vt sit Religiosa, debet innotescere Ecclesiæ & hæc est quædam solemnitas, quam etiam Vota simplicia non excludunt. Vnde Syluius super 2.2. quæst. 184. art. 4. docet nomine solemnitatis, quo S Doctor vtitur, intelligi posse quemlibet ritum ab Ecclesia approbatum, quo se aliquis obligat perpetuò ad opera perfectionis, de qua obligatione constet Ecclesiæ, & hanc solemnitatem inueniri etiam in emissione Votorum Scholarium post biennium, & Coadiut. in Societate.

13 Indè deducitur dictum S. Doctoris verificari etiam in Religiosis Votorum simplicium; isti enim, quantum est de se, se obligant perpetuò ad opera perfectionis per talia vota, vt patet: & consequenter constat S. Thomam docuisse etiam cum votis simplicibus posse Religiosum fieri, si Ecclesia eius perpetuam ad opera perfectionis obligationem acceptaret, vt acceptat in Societatis Instituto, in quo hæc obligatio semper est perpetua ex parte vouentis.

Hoc

14 Hoc idem probatur ſecundò; nam S.Doctor 4.d.38.q. 1. ar.3. quæſt. 3. ſeu in addit. ad tert.p. q.53. ar.2. ſibi obijcit hoc tertium argumentum *Votum ſolemne nihil habet, quod non poſſit votum ſimplex habere, &c. ſimiliter Eccleſia poſſet, & deberet ſtatuere quod votum ſimplex dirimat Matrimonium contractum, &c. ergo qua ratione votum ſimplex non dirimit Matrimonium, nec ſolemne votum dirimere debet*. In corp. docet non ex ſolo Eccleſiæ ſtatuto votum ſolemne dirimere Matrimonium; nam *Votum ſolemne*, inquit, *ex natura ſua habet quod dirimat Matrimonium, quia per Votum ſolemne homo amittit ſui corporis poteſtatem, illud Deo tradendo ad perpetuam continentiam*. Indè patet S. Doctorem loquendo de Voto, quod dirimit Matrimonium, vltrà rationem perpetuæ corporis traditionis, agnouiſſe ſtatutum Eccleſiæ, cuius etiam vigore Votum ſolemne dirimit Matrimonium, vt illi conſtabat ex 27. *quæſt. 2. cap. Deſponſatam, & ext. Cap.Verum. Cap. ex publico. Cap. ex parte 2. de Conuerſ. coniug.* Reſpondendo poſtea ad argumentum S: Thomas non contradicit illi propoſitioni, quod nihil habeat Votum ſolemne, quod Votum ſimplex habere non poſſit; quarè verò non dirimeret Matrimonium ſicut ſolemne, dicit: *quia Votum ſolemne habet actualem exhibitionem corporis* (Deo illud ad perpetuam continentiam traditum, vt dixerat in cor) *quam non habet Votum ſimplex: & ideo ratio ex inſufficienti procedit.*

15 Vbi notandum eſt Conc. Trid. ſeſſ.24. cap. 9. dixiſſe Matrimonium inualidum eſſe contractum à Clerico in Sacris Ordinibus conſtituto, & à Regulari caſtitatem ſolemniter profeſſo, obſtante lege Eccleſiaſtica, vel Voto ſolemni. Definiuit ergo Concilium, & Votum ſolemne, & legem Eccleſiaſticam obſtare validitati Matrimonij; ſed ſolum obſtante Voto ſolemni in Religioſo Matrimonium eſſe inualidum, & ſolum obſtante lege Eccleſiaſtica in Clerico in Sacris Ordinibus conſtituto Matrimonium eſſe inualidum; nam Concil. vtitur in

in sua propositione particula disiunctiua(vel)quę respectum habet ad Clericos, qui sola lege Ecclesiastica nubere prohibentur, & ad Religiosos, quos votum solemne arcet à Matrimonio: Modo in allatis verbis iuxtà doctrinam à Concil. approbatam S. Doctor de duplici ratione, qua votum solemne dixerat dirimere Matrimonium, scilicet, perpetuam exhibitionem corporis, & statutum Ecclesiæ, assignat tantum illam rationem, cuius vi votum solemne dirimit Matrimonium, quæ ex perpetua exhibitione corporis desumitur: hæc autem perpetua exhibitio corporis in Voto simplici Religionis de facto non inuenitur nisi ex parte Vouentis, sed aliam rationem, cuius vi Votum solemne etiam dirimit Matrimonium, quæ desumitur ex statuto Ecclesiæ, omisit, ex quo sequitur S. Thomam concessisse ex statuto Ecclesiæ posse ad dirimendum Matrimonium Votum simplex Voto solemni æquiparari, sed dixit non æquiparari totaliter ex insufficienti ratione; quia Votum solemne ex duplici ratione Matrimonium dirimit; Votum verò simplex ex vnica tantum ratione hoc idem prętare potest, scilicet, ex statuto Ecclesiæ.

16 Vndè clarè patet S. Doctoris mentem esse dari potuisse Ecclesiæ statutum, cuius vigore in aliqua Religione per Votum simplex castitatis dirimeretur Matrimonium; quod postea euenit, dum institutum Religiosum societatis, in quo post biennium vota simplicia emittuntur; quodque S. Thomas dixerat esse possibile, Sum. Pontif. Gregorius XIII. Religiosum de facto esse declarauit, in eoque castitatis simplex Votum Matrimonium postea initum dirimere statuit, cum ante hoc Ecclesiæ statutum huiusmodi Matrimonium non dirimeret, vt Doctores Societatis vnanimiter fatentur, Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 26. Suarez de Relig.
17 tom. 4. tract. 10. lib. 4, cap. 1. num. 8. Card. Lugo de Iust. disp. 3. sect. 4 num. 79. & alij cum ipsis. Infertur ex dictis S. Thomam admisisse Votum solemne nihil habere quod Votum simplex habere non possit,

se

se d Votum simplex ideo Matrimonium non dirimeret, dum scriberet, quia ad hoc prestandum indigebat Ecclesiæ statuto, quod non aderat, si autem adfuisset, ex hac tantum ratione hunc effectum habuisset, sicut habet in promotis ad Ordinem sacrum: ergo in sententia S. Thomæ, si adfuisset tunc statutum Ecclesiæ, quo Votum simplex Religiosum constitueret, hoc etiam haberet cum Voto solemni commune; ex vnica tamen statuti Ecclesiæ ratione; Votum vero solemne ex alijs insuper rationibus vltra statutum Ecclesiæ Religiosum professum constitueret, vt post S. Thom. tradiderunt plures insignes Doctores, quos refert, sed non sequitur Lessius de Iust. lib. 2. cap. 41. n. 70.



So-

II.

1 *Solemnitas Voti conſiſtit in aliqua conſecratione ex Apoſtolica traditione, & Iure diuino.*

2 *Solemnitas Voti conſiſtit in ſola conſtitutione Eccleſiæ.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Concluſio S. Thomæ attributa.

Solemnitas Voti conſiſtit in aliqua conſecratione ex Apoſtolica traditione, & Iure diuino.

18 

THOMAS 2. 2. quæſt. 88. ar.7. ſic ait. *Solemnitas Voti attenditur ſecundùm aliquid ſpirituale, quod ad Deum pertinet, ideſt ſecundùm aliquam ſpiritualem benedictionem, vel conſecrationem, quæ ex inſtitutione Apoſtolorum adhibetur in profeſſione certæ regulæ, ſecundo gradu poſt Sacri Ordinis ſuſceptionem,* vt *dicit Dion. 2. cap. Eccl. Hierar; & huius ratio eſt, quia ſolemnitates non conſueuerunt adhiberi niſi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei; non enim ſolemnitas nuptialis adhibetur niſi in celebratione Matrimonij; quando vterque coniugum ſui corporis poteſtatem alteri tribuit: & ſimiliter Voti ſolemnitas*

adbibetur, quando aliquis per susceptionem Sacri Ordinis diuino ministerio applicatur, & in professione certæ regulæ, quando per abrenunciationem sæculi, & propriæ voluntatis aliquis statum perfectionis assumit: & ad primum sic ait, *huiusmodi solemnitas pertinet non solum ad homines, sed ad Deum, in quantum habet aliquam spiritualem consecrationem, seù benedictionem, cuius Deus est author, etsi homo sit minister secundum illud num. 6. Inuocabunt nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.*

Item 2.2. quæst. 88. ar. 11. docet S.Doctor solemnitatem Voti Sacro Ordini esse annexam ex statuto Ecclesiæ, Voto verò Religionis essentialiter, & 4. d. 38. quæst. 1. ar. 3. quæst. 3. ad tertium. Ecclesiam statuere non posse quod *Votum solemne Religionis non dirimat Matrimonium ratum*. Ergo S. Thomas vult solemnitatem esse connexam de Iure diuino cum Voto, & consistere in quadam consecratione ex Apostolica traditione.

Conclusio, quæ censetur Sancto Thomæ opposita.

Solemnitas Voti consistit in sola constitutione Ecclesiæ.

19 ITA Bonifacius VIII. in cap. vnico de voto in 6. per hæc verba: *quod Votum debeat dici solemne, & ad dirimendum Matrimonium efficax, nos consulere voluisti. Nos igitur attendentes, quod Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta*, & Greg 13. in Bulla *Ascendente*: ait, *Nos considerantes Voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inuentam*: ergo dicendum est solemnitatem Voti non consistere ex Apostolica traditione in aliqua consecratione, quæ obliget Vouentem de iure diuino, idque euiden-

euidenter deduci ex modo, quo Summi Pontifices in allatis constitutionibus loquuntur. Vndè Suarez, & Vasquez apud Grauinam præscrip. tom. 4. par. 2. pag. mihi 297. scribunt opinionem D. Thomæ modo defendi non posse sine errore.

S. Thomae doctrinae veritas.

20 VT S. Thomæ Doctrinæ veritas elucescat, suppono primo S. Doctorem non dixisse simpliciter, & omnibus modis solemnitatem Voti non esse ex institutione Ecclesiæ; nam solemnitatem Voti esse etiam ex institutione Ecclesiæ affirmat, 2.2. quæst. 88. ar. 7. dum inquit: *Solemnitas Voti attenditur secundum aliquid spirituale, quod ad Deum pertinet*, volens postea explicare quid sit hoc spirituale, secundum quod attenditur solemnitas Voti, subiungit: *idest secundum aliquam benedictionem, vel consecrationem*, cuius verò institutione fiat hæc benedictio, seù consecratio, ait immediatè: *quæ ex Institutione Apostolorum adhibetur in professione certæ regulæ*, quod se didicisse refert op. 17. cap. 24. a S. Dion. cuius hæc verba, quæ habentur cap. 6. Eccl. Hier: *diuini duces nostri nominibus sanctis ipsos dignati sunt*, interpretatur de benedictione solemni instituta ab Apostolis in professione Monachorum. Institutio autem Apostolorum est quid positiuum, & consequenter idem quod institutio Ecclesiæ. Id fusius explicauit S. Doctor in 4. loco cit. in quæst. 3. vbi dixit: *Votum emissum in professione non esse solemne, nisi fieret debito modo, scilicet, in manus eius, qui debet recipere, & alijs circunstantijs, quæ secundum iura determinantur*, quod verò secundum iura, vtique positiua, determinatur, est ex institutione Ecclesiæ: *aliàs*, subiungit, *non esset Votum solemne, quantumcumque quis profiteretur, quia ex tali professione non fieret sub potestate eorum, qui Religioni præsunt*. En quomodo non agnoscit solemnitatem in Voto, nisi fiat juxta institutum ab Ecclesia:

quod confirmatur ex ar. 9. quæst. 88. 2.2. vbi ait: *Et quia solemnitas Voti in quadam spirituali benedictione, & consecratione consistit*, vt dictum est (ar. 7.) *quæ fit per ministerium Ecclesiæ: ideo solemnitas Voti*
21 *sub dispensatione Ecclesiæ cadit*. Sed Theologi, quos in magno numero congerit Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 25. num 7. & 16. cum S. Thoma duplicem solemnitatem agnoscunt in Voto: vnam essentialem, al-
22 teram accidentalem: Accidentalem vult S. Thom. esse supradictam benedictionem, seu consecrationem, quæ ex instituto positiuo Apostolorum adhibetur: *dum in professione certa regulæ*, inquit, *per abrenunciationem sæculi, & propriæ voluntatis aliquis statum perfectionis assumit*; quæ professio tunc recipitur debito modo à Prælato competente, dum recipitur cum circunstantijs, quæ secundùm Iura determinantur. Ità S. Thom. 2.2. vbi supra, & in 4. etiam vbi su-
23 pra. Substantialis verò solemnitas Voti est ipsa traditio, seu donatio, quam de se facit aliquis se diuino seruitio mancipando, vigore cuius traditionis, seu donationis, ac si esset mutuus contractus à Prælato debito modo acceptatus, deuenit perpetuò ad seruandam paupertatem, castitatem, & obedientiam obligatus. Ita Pontius de Matr. lib. 7. cap. 7. à num. 15. &c. hanc solemnitatem substantialem tradit S. Doctor ar. 11. quæst. 88. supracitatæ; dum inquit, *Votum*
24 *solemnizari ad id, cui continentia est annexa*. Et quia continentia est essentialiter annexa statui Religionis; quod verissimum esse, & ab omnibus concedi dixit Lessius de Iust. lib. 2. cap. 14. dub. 19. num. 140. Votum solemnizatur ad statum Religionis, cui statui est annexa essentialiter continentia, quia debitum continentiæ in statu Religionis non reperitur quasi separabile ab illa consecratione superius explicata, & consequentèr non ex statuto Ecclesiæ, vt in Sacro Ordine, in quo potest esse consecratio sine debito continentiæ, sed tamquam illi essentiale, sine quo status Religionis esse non potest: *per statum enim Religionis*, inquit S. Doctor,

Doctor : *homo abrenunciat sæculo , totaliter Dei seruitio mancipatus , quod non potest simul stare cum Matrimonio* . Hæc autem abrenunciatio , &c. fit per traditionem , seu donationem sui ipsius suprapositam, in quo substantialis solemnitas consistit .

25 Suppono secundò nunquam etiam dixisse S. Thomam solemnitatem Voti esse annexam de iure diuino statui Religionis ; sed debitum continentiæ esse essentialiter connexum statui Religionis, ad quam Votum
26 solemnizatur ; ad hoc explicandum vtitur S. Doctor exemplo Calicis consecrati , cuius deputatio ad diuinum cultum , quæ attenditur etiam secundum aliquid spirituale , ex natura rei consurgit statim ac ad diuini cultus vsum consecratur ab Ecclesia ; quod verò iste Calix consecretur , seu assumatur , est ex institutione Ecclesiæ , sed supposita assumptione , seù consecratione , non indiget Calix nouo statuto, quo decernatur diuino ministerio deputatus , nec amplius est in Ecclesiæ potestate quod non sit ad diuinum cultum assumptus , & consecratus . Ita in potestate Ecclesiæ est quod in statu Religionis quis possit se diuinis obsequijs mancipare , & se tradere , ac deputare diuino seruitio , cum aliquando id possit ab Ecclesia prohiberi , vt dixit S. Thomas in 4. d. 38. quæst. 1. ar. 4. q. 1. ad tertium & 22. quæst. 88. ar. 9. illis verbis : *ideò solemnitas Voti sub dispensatione Ecclesiæ cadit* . Item in eadem Ecclesiæ potestate est acceptare professionem Vouentis huiusmodi statum , & certas circunstantias instituere , quibus id debito modo fiat , in quo consistit solemnitas accidentalis, vt dictum est, & clariùs patebit Conclusione III. sed acceptata Vouentis professione per Ecclesiam , eoque diuinis obsequijs deputato , non est exigendum aliud statutum Ecclesiæ , quo iste deputatus ad diuina obsequia declaretur , nec ampliùs est in Ecclesiæ potestate quod iste non sit deputatus ad hæc obsequia : hoc enim huic Vouenti post deputationem est essentiale , & ex natura rei consurgit , in quo ponitur Voti solemnitas substantialis .

Ad

27 Ad dignoscendum hanc esse S. Doctoris mentem, satis accomodata res erit perpendere, quod in opusc. 18. cap. 16. in fine docuit per hæc verba: *sicut autem in humanis contractibus aliquæ solemnitates secundum humana iura adhibentur, vt contractus firmior habeatur; ita cum quadam solemnitate, & benedictione status Pontificalis assumitur, & etiam Religionis professio celebratur.* Dicit ergo S. Doctor celebrari Religionis professionem veluti quendam contractum, in quo obseruantur humana iura, en solemnitas accidentalis, quæ est in celebratione professionis ex constitutione Ecclesiæ, & ex debito modo secundum eius iura determinato, vt dixerat etiam in 4. loco cit. posteà dicit celebrari professionem Religiosam simili modo,
28 quo assumitur status Pontificalis. Sicut ergo Pontificalis status assumptus cum solemnitate secundum Ecclesiæ constitutionem instituta habet annexam iurisdictionem in Diœcesi sibi ab Ecclesia designata (sine tamen præiudicio supremæ in omnibus Diœcesibus Romani Pontificis iurisdictionis, à qua omnis Ecclesiastica iurisdictio manat;) nec indiget nouo statuto Ecclesiæ ad habendam dictam iurisdictionem, quia ad illam primo, & per se veluti ad suum obiectum deputatur. Ita status Religiosus assumptus cum solemnitate ab Ecclesia instituta non indiget nouo statuto Ecclesiæ, quo decernatur ipsi annexum esse debitum continendi, quia ad hoc illa solemnitate accidentali deputatur, vt dictum est.

29 Quod docuisse etiam S. Dionisium, loquendo de Monachis 6. cap. Eccles. Hierar. S. Thomas dixit, cum ad suæ doctrinæ confirmationem hæc eius verba assumpsit: *Propter quod & perfectam ipsis donauit gratiam sancta legislatio, & quadam ipsos dignata est sanctificatiua inuocatione*, quasi diceret, solemnitas ab Ecclesia instituta in celebratione professionis Religiosæ, quæ eiusdem Ecclesiæ legislatione sancta est, & in inuocatione sanctificatiua ab eadem præscripta consistit, annexam habet perfectam illam gratiam, quæ in statu

tu perfectionis Religiosæ Monachos designat ad perpetuum continentiæ debitum, per quod eorum professio substantialiter solemnizatur, quod cap. 20. ex eodem S. Dionis. iterum S. Thom. confirmauit, vt infrà ostendemus.

30 Suppono 3. Nunquam tandem S. Thomam dixisse solemnitatem Votorum statui Religioso absolutè considerato esse essentialiter connexam, quamuis, vt in superiori Conclusione dicebamus, dum viueret S. Thomas, nulla esset Religio, in qua solemnis professio non emitteretur. Immò S Doctor Religionem sinè professione solemni esse possibilem in Ecclesia docuit expressè, vt ibidem dicebamus.

31 Ex his suppositis euidenter infertur S. Thomam nihil docuisse quod Summorum Pontificum decretis supradictis contradiceret; nam Bonifacius, & Gregorius Summi Pontifices dixerunt. *Solemnitatem Voti ex sola constitutione Ecclesiæ esse inuentam.* S. Thomas idem asseruit, vt probatum est, & euidenter expressit dicto opusc. 17. cap. 20. sub his verbis: *qui perpetuò ad aliquid deputantur, vel obligantur, aliqua Ecclesiastica solemnitas in tali consecratione adhibetur, putà qui in Episcopos consecrantur, vel qui in professione Religionis benedicuntur etiam secundum antiquũ ritum Ecclesiæ; vt patet per Dionis. lib. de Eccl. Hierar. cap. 6.* aliàs cap. 10. vbi nota S. Dion. dicere Monachi institutionem habere vim consecrationis; & qui peruenit ad Monachorum institutum, esse consecratum. S. Thomas S. Dionysij loquendi modum secutus professionem Religiosam consecrationem appellauit. Præterea Gregorius Pontifex decreuit Societatis scholares, & Coadiutores quamuis non solemniter professos, esse verè Religiosos; S. Thomas id etiam docuit tamquam possibile nouo iure, quod sæculo, quo viuebat, adhuc non erat in vsu: Insuper, si idem Gregorius declarando Societatis statum esse Religiosum sine solemnitate Votorum quo ad Scholares, & Coadiutores; declarauit consequenter non esse de iure diuino annexum Votum

tum solemne statui Religionis. S. Thomas idem docuit vt ostendimus supra: qui vsus est nomine consecrationis, ad designandas tantum circunstantias obseruandas in Votorum emissione, quæ in qualibet Religione variè disponuntur: vndè, vt in superiori Conclusione dicebamus, in omni Religione aliqua solemnitas in emittendis Votis obseruatur; quæ si fiat cum irreuocabili acceptatione, erit solemnitas absoluta; si fiat cum reuocabili acceptatione, & potestate manumittendi, vt fit in Societ: respectu Scholarium post Biennium, & Coadiutorum, erit solemnitas impropria: & ideò illa Vota dicenda erunt absolutè loquendo simplicia; abusiuè verò, solemnia.

33 Dixit ergo S. Thomas solemnitatem Voti consistere in quadam benedictione, seu consecratione ex instituto Apostolorum, & sub dispensatione Ecclesiæ cadere, & rectè iuxtà vnanime Doctorum iudicium: Dixit prætereà debitum continentiæ essentialitèr annexum esse statui Religionis. Hoc idem Theologi, & Canonistæ insigniores tamquam sanam, & veram doctrinam amplectuntur; & ne dum Pontifices contrarium quid decreuisse non sentiunt, sed idem prorsùs declarasse volunt expressis verbis Innocentium Tertium cap. *Cum ad Monasterium* de statu Monachor. per hæc verba. ***Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, adeò annexa est regulæ Monachali, vt contra eam nec Sum. Pontifex possit indulgere.***

34 Quapropter doctissimi viri, quos adducit, & sequitur Basilius de Matrim. Lib. 7. cap. 10. numero 8. ex hac declaratione Apostolica conijciunt de instituto Christi debitum continentiæ statui Religionis annexum esse: ideòque conijcere insuper deberent Voto solemni Religionis non superaddi solemnitatem substantialem accidentaliter, seu ex instituto Ecclesiæ; sed illi esse essentialem, vtpotè de iure diuino: nam Vouenti Voto sic solemnizato est essentialiter annexum debitum continentiæ de instituto Christi, & est essentiale obiectum,

pre-

propter quod per se, & primò deputatur Religiosa persona ad diuinum cultum; quod verò per Votum solemne, vel simplex deputetur quis ad diuinum cultum, & eius traditio, & donatio acceptetur ab Ecclesia; ita vt non facta traditione statuto Ecclesiæ conformi; nec acceptata debito modo, &c. secundum iura determinata, nulla resultet obligatio, nulla solemnitas, est ex Constitutione Ecclesiæ; & hoc declarauere Pontifices, quod cum S. Thomæ doctrina consonat euidentèr, vt ex hucusque dictis clarè patet.

35 Confirmatur; nam Sacr. Concil. Tridentin. sess. 24. can. 9. sic ait. *Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege Ecclesiastica, vel Voto* (vtique solemni) nam Votum simplex Religionis in Societate tunc Matrimonium postea initum non dirimebat, vt patet ex dictis præcedenti Conclusione, sicut nec modo antea initum dirimit, vt cum Doctoribus Societatis sentit Sanchez de Matrimon. Lib. 2. disp. 18. numero 6. Ergo Sacrum Concilium, vt etiam in superiori Conclusione dicebamus; vult Matrimonium dirimi ex duplici capite disiunctiuè, scilicet, vel ex lege Ecclesiastica quoad Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel ex Voto solemni, cui in Religione solemniter emisso; prout docuit S. Thomas locis citatis, alijque docuere grauissimi Theologi, vt aduertit Bellar. Cont. Tomo 3. de Matrim. Sacramento Lib. 1. cap. 21 de iure diuino, ac naturali competit dirimere Matrimonium, seclusa etiam lege Ecclesiastica,

36 quod innuit insuper Ioannes XXII. in Extrau. *Antiquæ de Voto*. Vbi Matrimonium ratum per subsequentem Ordinis Sacri susceptionem dirimi negat; quia id nec Iure diuino, nec per Sacros Canones statutum reperiebatur: benè tamen dirimi concedit per Religionis ingressum post emissam professionem, quod cum Pontifex non dixerit quo iure statutum esset, putare possumus eum iure diuino id statutum existimasse: nam

hoc grauissimi Doctores iam tradiderant, sicut & posteriores quoque tradiderunt; indè patet Bonifacium VIII. in cap. *de Voto, &c,* non declarasse quicquam his in contrarium, nec voluisse Votum solemne Religionis dirimere Matrimonium de Iure Ecclesiastico, cum ex Ioannis successoris decreto oppositum probabiliter habeatur.



Sum-

III.

1 *Summus Pontifex non potest in Voto solemnizato per professionem Religiosam dispensare.*

2 *Summus Pontifex potest in Voto solemnizato per professionem Religiosam dispensare.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Summus Pontifex non potest in Voto solemnizato per professionem Religiosam dispensare.

37 

THOMAS 2.2. quæst. 88. art. 11. sic ait. *In Voto solemnizato per professionem Religionis, non potest per Ecclesiam dispensari*, cuius rationem hanc assignat: *Non potest facere aliquis Ecclesiæ Prælatus, vt id, quod est sanctificatum, sanctificationem amittat etiam in rebus inanimatis: putà quod Calix consecratus desinat esse consecratus si maneat integer. Vnde multò minùs potest hoc facere aliquis Prælatus, vt homo Deo consecratus, quandiù viuit, consecratus esse desistat*, & iterum ait, *non potest fieri per aliquem Prælatum Ec-*

clesiæ, quod ille, qui Votum solemne emisit, desistat ab eo, ad quod est consecratus; putà quod ille, qui est Sacerdos, non sit Sacerdos, licèt possit Prælatus ob aliquam causam executionem Ordinis inhibere; & simili ratione Papa non potest facere, quod ille, qui est professus Religionem, non sit Religiosus.

Conclusio, quæ censetur Sancto Thomæ opposita.

Summus Pontifex potest in Voto solemnizato per professionem religiosam dispensare.

38 HOc patet expressè, nam plures Summi Pontifices super Voto solemnizato per professionem Religiosam dispensauere, prout ex authenticis documentis referunt cum alijs multis Azorius Inst. p.p. Lib. 12. cap. 7. Barbosa in collect. cap. *Cum ad Monasterium*, de statu Monach. & Diana par. 8. Trac. primo Res. 73. quo facto Summi Pontifices declarauere se posse in Voto solemnizato per professionem Religiosam dispensare.

Sancti Thomæ doctrinæ veritas.

39 NOn semper S. Thomam fuisse in sententia quod Votũ solemnizatum per professionem Religiosam esset indispensabile supponunt quidam Thomistæ, inter quos Siluius 2.2. super illum art. 11. quæst. 88. quibus consentiunt Azorius, & Barbosa locis citatis, & alij plures; quia in 4. sent. dist. 38. quæst. 1. art. 4. quæst. 1. ad tertium docuit euidenter tale Votum censeri probabiliùs dispensabile: ibi enim sic ait. *Et ideò alij dicunt*

cunt probabiliùs, ſi communis vtilitas totius Eccleſiæ aut vnius Regni, vel Prouinciæ expoſceret, poſset conuenienter, & in Voto Continentiæ, & in Voto Religionis diſpenſari, quantumcumque eſſet ſolemnizatum; non enim per Votum poteſt ſe homo deobligare ab eo, in quo tenetur alteri, vt dictum eſt, (ſcilicet in corp. quæſt.) vnde talis poſſet imminere neceſſitas, quod poſset alicui iuſtè probiberi ne continentiam, aut Religionem voueret, & eadem neceſſitate manente, poteſt etiam in Voto dipſenſari iam acto, dixerat autem in cor. quæſtiunculæ. *Diſpenſatio eſt Iuris relaxatio ex aliqua legitima cauſa; quia enim Votum de illicito eſſe non poteſt: non autem licet ſubtrahere alicui quod ei debetur; ideò per Votum alicuius non poteſt fieri præiudicium ſuo Prælato, quin debeat eius mandatis parere, cum fuerit opportunum. Vndè ſi Prælatus videat expedire aliqua rationabili cauſa, vel propter ipſum, qui vouit, vel propter alios, quod Votum non ſeruet, poteſt eum ab obſeruatione Voti deobligare, qui aliàs de iure obligatus erat*. Idem repetit in ſcripto ad Anibald. eadem diſt. art. 2. ad ſecundum per hæc verba, *Vota Religionis principalia ſunt indiſpenſabilia, vt ipſi dicunt, quibuſdam verò è contrario videtur quod in ijs poſſit diſpenſari eadem ratione, qua poſſent aliquando prohiberi propter aliquam maximam Eccleſiæ neceſſitatem*. Hic notandum eſt ſcriptum ad noſtrum Anibaldum inter poſtrema edita S. Doctoris opera connumerari debere; Anibaldus enim ad Cardinalatum promotus fuit anno 1263. Conſtat ergo quod S. Doctor cum ſcriptum illud mittebat, vel ſecundam Partem paulò ante compleuerat, vel actualiter circa eam verſabatur. Vndè inſurgit vehemens coniectura S. Doctorem opinionem de hac Voti ſolemnis diſpenſabilitate in 2.2. variaſſe, vt ſupradicti Thomiſtæ ſentiunt; ſed probabiliùs mihi ſemper erit in ea, quam docuerat in primo ſcripto ſuper ſententias, opinione ſemper fuiſſe conſtantem: nam incredibile prorſus eſt ſibi eodem ferè tempore eſſe voluiſſe contrarium, ita vt ſcriberet in 2.2.

Vo-

Votum Religionis solemnizatum ignoranter quosdam Iuristas dixisse dispensabile, cum paulò ante, vel post scribendo ad Anibaldum dixerit secundum aliquos esse dispensabile propter aliquam maximam Ecclesiæ necessitatem, quod ipsemet senserat in illo priori scripto super sententias esse probabiliùs, nulla adhibita ad Anibaldum huic opinioni nota improbabilitatis, vel ignorantiæ; quapropter indicauit se illud adhuc probabiliùs reputasse.

41 Item sub quo iusto titulo 2.2. q. 88. art. 11. potuisset S. Doctor quosdam Iuristas asserentes Voti prædicti dispensabilitatem obiurgare illis verbis, *licet quidam Iuristæ ignorantèr contrarium dicant*, dum ipse summus Theologus idipsum dixisset cum præstantissimis Doctoribus, quos adducit sub tacito nomine ad Anibald.; & in priori scripto super sententias loco cit. commendat illis verbis, *alij dicunt probabilius*.

42 Accedit ad hæc ipsum S Doctorem obiecisse sibi 2.2. vbi supra primum argumentum quo conuictus fuerat in dicto loco 4. sent. ad iudicandum probabiliùs esse tale Votum esse dispensabile. *Si id exposceret bonum totius Ecclesiæ, quia non potest homo se deobligare ab eo, in quo tenetur alteri, scilicet Prælato, cui per tale Votum non potest fieri præiudicium, quin debeat eius mandatis parere, cum fuerit opportunum*, cui argumento respondens ait, *non esse res diuinas conuertendas in vsus hominum: & ideo cum Religiosus professus sit mortuus mundo, & viuat Deo, non est reuocandus ad vitam humanam occasione cuiuscumque euentus*,

43 Vbi obseruare oportet primò S. Doctorem dixisse res diuinas non esse conuertendas in vsus hominum, non verò non esse conuertendas in vsus pios hominum nam *ly per vsus hominum* excludere certò noluit illum vsum, ex quo pendet commune bonum totius Ecclesiæ; nam certum est res diuino cultui dedicatas frangi posse, & in vsus pios v. g. in vsus pauperum religiosè conuerti: certum est etiam quod in commune bonum totius Ecclesiæ conuertitur, non esse dicendum ita in vsus

ho-

hominum conuersum, vt simul in vsum diuinum conuersum fuisse dici rectè non possit: Cùm ergo S. Doctor ex hac ratione, quod res diuinæ non sint conuertendæ in vsus hominum, intulit Religiosum professum non esse reuocandum ad vitam humanam occasione cuiuscumque euentus, intelligendus est de euentu purè humano; ex quo, scilicet, commune bonum totius Ecclesiæ non penderet: nunquam namque negasset Religiosum ad vitam humanam reuocari non posse occasione euentus boni, quod in vtilitatem totius Ecclesiæ redundaret; immò in id consensit exprefsè in 4. Sent. vt patet.

44 Secundò obseruare oportet S. Doct. dixisse in 4. loco cit. Votum Religionis solemnizatū esse dispensabile, *quia per tale Votum non potest fieri præiudicium Prælato, cuius mandatis debitum est parere cum fuerit opportunum*, huic rationi, quæ ipsum in 4. Sent. conuicerat ad asserendum Voti solemnis dispensabilitatem, nihil respondet 2.2. in illo art. 11. quæst. 88. quod certè non prætermisisset, nec mutando sententiam, rationem præfatam soluere omisisset: patet enim id S. Doctorem semper egisse; dum de aliqua sententia priùs tradita aliter posteà sibi visum fuisset, quod ex eius pluribus doctrinæ locis euidenter colligitur.

45 Insuper perpendo S. Thomam in eadem quæst. 88. art. 12. ad secundum docuisse Sum. Pontificem gerere plenariè vicem Christi in tota Ecclesia, ipsumque habere plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus Votis, quod replicat in scripto ad Anib. loco cit. ad tertium, sed idem S. Doctor eodem in loco 2.2. docet Votum Religionis solemnizatum esse dispensabile, vt in fine præsentis discursus ostendemus. ergo

46 &c. Præterea S. Doctor in 4. dist. cit. quæst. 1. art. 4. quæst. 2. & 22. quæst. 184. art. 6. & quæst 189. art. 7. docet in Voto Religionis, quod inter Vota perpetua comprehendit, solum Papam dispensare (vbi S. Doctor loqui etiam de Voto Religionis iam acto infra constabit) ergo non est verisimile S. Doctorem sensisse aliquando

Sum.

Sum. Pontificem in tali Voto dispensare non posse, cùm
vbique innuat oppositum.
47 His rectè & maturè consideratis, mihi certum est S.
Doctorem alio satis diuerso sensu negasse 2.2. in illa
quæst.88. Votum Religionis solemnizatum esse indispen-
sabile, & in 4. sent.loco cit. esse dispensabile affirmasse,
nam ego existimo S. Doctorem dixisse in 4. sent. Vo-
tum illud esse dispensabile, sed non eo modo, quo qui-
dam Iuristæ putabant, quem modum esse impossibi-
lem statuit, & cum Decretali ibi *in arg. sed contra*
adducta pugnare censuit; sed dixit esse dispensabile
alio modo ab ipso 2.2.in illa quæst.88.tradito, & à Sum.
48 Pontif.conditore Decretalis illius intento.Vnde apparet
expressè S. Doctorem non fuisse sibi contrarium, sed
omninò in sua sententia constantem, nec Sum. Pontifi-
cis authoritati detraxisse, sed multum fauisse dum
verba illius Decretalis, quæ Voti solemnis indispensa-
bilitatem sonare videbantur,iuxtà sensum proprium, &
Apostolici eloquij dignitati congruum explicauit, sta-
tuendo Votum præfatum dispensabile quidem esse, sed
seruato modo, quem ex eius doctrina eruemus in se-
quentibus.
49 Dico ergo duplici modo posse dispensari in Voto Reli-
gionis solemnizato. Vno modo, remanente statu Re-
ligioso amotis Votis, alio modo, dissoluto statu Reli-
gioso dum Vota amouentur: priori modo non potest
per Papam in Voto isto dispensari; quia status Religio-
sus habet sibi essentialiter annexum debitum continen-
tiæ, quod est de eiusdem status substantia de iure diui-
no ex institutione Christi vt dictum est, & loqui solent
Doctores præcipui apud Basilium vbi supra. Hoc pro-
50 bat ratio S. Thomæ adducta 2.2. in illo art. 11. quæst.
88. nam posito quod statui Religioso sit annexa essen-
tialiter continentia, vt ibi S. Doctor dicit, optimè se-
quitur non posse statum Religiosum permanere sine
continentia, & consequenter manente statu illo, conti-
nentiam esse indispensabilem, non verò sequitur non
posse statum illum immutari, dum super continentia
dispen-

dispensatur. Quod enim conuenit alicui secundum se, inquit S. Tho. p.p. quæst. 50. art. 5. nunquam ab eo separari potest: Ab eo autem cui conuenit per aliud, potest separari, separato eo, secundum quod ei conueniebat. Rotunditas enim à circulo separari non potest, quia conuenit ei secundum se ipsum; sed æneus circulus potest amittere rotunditatem per hoc, quod circularis figura separatur ab ære. *Ita debitum continentiæ, quia secundum se conuenit statui Religioso, nunquam à tali statu separari potest: sed homo Religiosus potest amittere debitum continentiæ per hoc, quod virtute dispen-*
51 *sationis separatur ab eo.* Hinc oritur secundus modus, iuxtà quem dispensatio super hoc Voto cadere potest, & est dum dissoluitur per talem dispensationem status Religiosus. Nec amplius quid probare videtur Calicis consecrati exemplum à S. Thoma adductum; nam Calix consecratus, hoc est, diuino cultui deputatus, in sensu composito, per quamcumque potentiam fieri non potest quod non sit consecratus, hoc est diuino cultui non deputatus; sed mutato Calice per nouam deaurationem, vt probabilis fert opinio, vel per fractionem, vel tandem per deputationem eius ad profanum vsum; ita vt desinat esse Sacer, & ex sacro deueniat profanus, non amplius diuino cultui sacratus, sed communibus hominum vsibus concessus, quod fieri posse à Papa Doctores admittunt, & accidit de facto, dum loca, vbi sunt erectæ Ecclesiæ, eius authoritate profanantur; Calix iste non est amplius consecratus: nam, ait S. Tho. ibi. *Calix consecratus non desinit esse consecratus si maneat integer. Ergo Calix consecratus desinit esse consecratus si non maneat integer*, physicè scilicet, aut moraliter, quia præteritus eius status per talem mutationem est destructus: Ità manente Religioso diuino seruitio mancipato, in sensu composito, impossibile est super debito continentiæ dispensari; quia debitum continentiæ cum statu Religioso essentialiter connectitur ex supradictis. Sed mutato per authoritatem Papæ statu Religioso, dum sua dispensatione remittit authoritate

D Dei,

Dei, qua pleniſſimè fruitur, promiſſionem factam, & fidem in Voto datam, deſtruit ſtatum Religioſum in Vouente, qui tunc, cum non maneat integer, vt ita dicam, nam deſinit eſſe conſecratus, hoc eſt, diuino cultui deputatus, ad ſæcularia Vota liberè tranſire poterit.

52 In hoc ſenſu volunt præſtantiſſimi Thomiſtæ cum Caietano 2. 2. loco cit. locutum fuiſſe Innoc. III. in ſua Decretali Cap. *Cum ad Monaſterium*, de ſtatu Monachor. cum inquit, *Abdicationem proprietatis, ſicut & cuſtodiam caſtitatis, adeò eſſe annexam regulæ Monachali, vt contra eā nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*, ideſt diſpenſare, vt Monachus manente Monacho ſit ſine caſtitate, & paupertate.

53 In hoc eodem ſenſu ijdem putant dixiſſe S. Thomam 2. 2. quæſt. 88. art. cit. *Papam non poſſe facere quod ille, qui eſt profeſſus Religionem, non ſit Religioſus*, ſcilicet, manente in eo Voto ſolemnizato, quo profeſſus dicitur, facere non poteſt quod non ſit Religioſus, ſicut manente ſtatu ſeruitutis in ſeruo, dominus facere non poteſt quod non ſit ſeruus, ſed poteſt de ſeruo facere non ſeruum manumiſſione ſtatu ſeruitutis amoto.

54 Huius doctrinæ ſimile deduco ex poſſibili diſpenſatione Dei ſuper præcepto de non accedendo ad coniugatam quamdiù viuit Vir eius, qua diſpenſatione ſecuta, de facto Propheta Oſeas Vxorem alterius licitè ſibi copulauit. Ad Vxorem Viri viuentis non acceſſiſſet licitè Propheta, niſi Deus ſua diſpenſatione abſtuliſſet ab ea conditionem *non ſuæ*, qua conditione per diuinam diſpenſationem ablata, Oſeas ad eam acceſſit ſine tranſgreſſione Decalogi, ex S. Thoma 3. d. 37. art. 4. ad tertium. Ita Sum. Pontifex ſua diſpenſatione aufert à Viro Religioſo conditionem ſtatus, cui eſt annexa eſſentialiter continentia, qua ablata, nulla in eo remanet profeſſio, nulla obligatio ad acta Religionis Vota.

55 Hanc fuiſſe S. Thomæ ſententiam mihi perſuadet intentum ipſius, quod habuit 2. 2. in illo art. 11. quæſt. 88. vbi ſuam mentem circa Voti ſolemnis poſſibilem diſpen-

ſpenſationem clariùs propalauit; nullibi etenim alibi dixit. Votum Religionis eſſe à Papa indiſpenſabile. Hoc intentum S. Thomæ fuiſſe puto, vt erat Pontificiorum Decretorum propugnator acerrimus, patrocinari veritatem Decretalis illius, quam fortè quidam Iuriſtæ tunc non admittebant, vel legitimum ſenſum eius ignorabant; nam relata opinione de Voti ſolemnis diſpenſa-
56 bilitate, ſic ait, *ſed quia Decretalis inducta expreſſè dicit quod nec Sum. Pontif. poteſt contra cuſtodiam caſtitatis Monacho licentiam dare; ideò aliter videtur dicendũ* ſcilicet, vt Decretalis inductæ authoritas ſubſiſtat, dicendum eſt aliter, quàm quidam Iuriſtæ eius ſenſum ignorantes dicant. Cum verò Decretalis illius ſenſus optimè ſaluetur ſupradicto modo diſpenſationis admiſſo, quo non limitatur Summi Pontificis poteſtas diſpenſandi in tali Voto, & ſeruata S. Thomæ in ſua doctrina conſtantia, patefit illorum Iuriſtarum ignorantia, hunc modum dicendi, qui etiam præſtantiſſimis Thomiſtis placuit, amplectendum exiſtimo; maximè cum ex eiuſdem S. Thomæ doctrina, quæ legitur in corpore illius articuli 11. conijciatur euidenter; S. Thomas enim ibi repræhendit quoſdam Iuriſtas, quia ex eorum ſententia ſequebatur Papam poſſe facere vt ille, qui non habet Vota Religionis, ſit Religioſus: nam permanentem in ſtatu Religioſo volebant per diſpenſationem eſſe à Votis abſolutum, & meritò repræhenduntur. Propoſitio enim Iuriſtarum illorum erat omninò falſa, & contradictoriè oppoſita veræ propoſitioni; hæc enim eſt propoſitio vera & indubitata.



Non habens Vota Religionis impossibile est quod sit Religiosus.

Ergo hæc quæ erat Iuristarum illorum est falsa.

Non habens Vota Religionis possibile est quod sit Religiosus.

CVm supradictæ contradictoriè opponatur, has duas contradictorias cogebantur concedere illi Iuristæ esse simul veras, quod non nisi cum crassa prorsus ignorantia concedi potest. Vndè iure optimo à S. Thoma iudicantur ignoranter dixisse: prima enim propositio vniuersalis est vera apud omnes, secunda particularis, quæ etiam apud omnes est falsa, censenda erat vera à Iuristis illis, cum dicerent Religiosum persistendo in statu Religioso potuisse super Voto Religionis dispensari: hoc enim idem est ac si dixissent, non habentem Vota Religionis possibile esse, esse Religiosum: sed si illi Iuristæ cum Theologis dixissent Papam posse sua dispensatione super Votis Religionis destruere Religiosi professionem; ita vt Religiosus dispensatus super Votis Religionis non esset ampliùs Religiosus professus, benè dixisent, nec eis Sanctus Thomas ingnorantiæ notam intulisset.

Dubium incidens.

57 QVeres, dato quod S. Thomas senserit Votum Religionis esse dispensabile, hæc dispensatio in eius sententia cuinam competeret authoritate ordinaria, tantum ne Sum. Pontifici, vel etiam alijs inferioribus Prælatis?

58 Vt respondeam quæsito, suppono primo Sum. Pontifi-

cem

cem de plenitudine poteſtatis poſſe ſuper pluribus in Eccleſia diſpenſare, ſuper quibus nemo alius illi inferior authoritate ordinaria diſpenſare poteſt, v. g. poteſt ipſe ſolus authoritate ordinaria diſpenſare cum ſimplici Sacerdote quod poſſit miniſtrare Sacramentum Confirmationis, vt inſinuat S. Thomas 4. d. 7. quæſt. 3. art. 1. quæſt. 3. & opuſc. 17. Cap. 24. Idem dicerem de diſpenſatione ſuper Matrimonio rato non conſummato, ſuper reſidentia Epiſcoporum, eorumque trãslatione, vel obligatione perpetua datæ fidei Eccleſiæ ſuæ, &c. In his, & ſimilibus videtur Papam habere quandam poteſtatem excellentiæ, vt authoritatem ordinariam ſingularem.

59 Suppono 2. cum dicitur à S. Thoma 2.2. q. 88. art. 12. ad 3. Papam de plenitudine poteſtatis poſſe diſpenſare in omnibus diſpenſabilibus Votis, non eſſe intelligendum ipſum hoc dixiſſe, quia putaret inueniri quædam Vota à Papa ex defectu authoritatis indiſpenſabilia, etiam data iuſta cauſa diſpenſandi, vt Siluius ibi S. Doctorem interpretatur, cum oſtendere intendit Votum Religionis iam actum à Papa in ſententia S. Thomæ eſſe indiſpenſabile, ſed docuit dari Vota indiſpenſabilia, vt ita dixerim, materialiter, quia ſcilicet naturalem habent repugnantiam cum diſpenſatione, quod tunc tantum contingit, cum, ex nulla cauſa apparente, Papa illa Vota diſpenſare vellet, vt expreſsè declarat S. Thomas in proxima ſuperiori reſponſione ad 2. & dixit Rota coram Martino Andrea In nullius, ſeu Caput Aquenſis Penſionis 18. Aprilis 1616. cum pronunciatum illud Innoc. III. *abdicatio proprietatis &c. vt contra eam nec Sum. Pontifex poſſit indulgentiam præbere,* declarat, *vt, ſcilicet, intelligatur ſine cauſa, non autem cum cauſa.*

60 His ſuppoſitis Dico S. Thomam in ea eſſe ſententia ſolum Papam authoritate ordinaria in Voto Religionis ſolemnizato diſpenſare poſſe.

61 Probo, quia S. Thomas in 4. loco cit. quæſtiun. 2. docet *in Votis, quæ non de facili diſpenſationem recipiunt,*

piunt, nec frequenter, sed rarò, sicut Votum Religionis, & alia huiusmodi Vota perpetua, solum Papam dispensare posse. In alijs verò temporalibus Votis, sicut Peregrinationum &c. posse etiam Episcopos dispensare, nisi aliquod horum sibi Papa reseruauerit, sicuti est dispensatio in Voto Peregrinationis Terræ Sanctæ. Vbi notanda est distinctio facta à S.Doctore inter Papæ, & Episcoporum authoritatem in dispensandis Votis: nam in Voto Peregrinationis &c. dicit S.Thomas posse, & Papam, & Episcopos dispensare, si isti non prohibeantur, sicut prohibentur dispensare in Voto Peregrinationis Terræ Sanctæ, super quo ante Papæ reseruationem poterant Episcopi dispensare, quia in Votis Peregrinationis dispensare pertinet ad Episcoporum authoritatem ordinariam. In Voto verò Religionis dicit S.Doctor solum Papam posse dispensare, nulla facta mentione specialis reseruationis; ergo authoritate ordinaria id soli Papæ competit ex D.Thoma.

62 Dices cum Siluio 2.2.q.88. art.12 Concl.2. S.Thomam, dum ait Votũ Religionis esse dispensabile, loqui de Voto Religionis ingrediendæ, non de Voto Religionis iam solemnizato per professionem: Sed contra: nam S. Thomas in 4. loco cit. q. 1. ad 3. loquitur de Voto Religionis iam acto, de quo etiam loqui 22. patet: nam in illo art. 12. ad 3. dixit Papam dispensare posse in omnibus Votis dispensabilibus, inter quę S.Thomam connumerasse Votum Religionis iam actum deducitur ex eodem articulo in responsione ad 2. Vbi dicit S. Thomas *Votum de Ingressu Religionis, si esset causa apparens, à quolibet Prælato posse dispensari*: tunc enim hoc Votum non erat reseruatum, vt constat ex respon. ad 3. Vbi S. Thomas reseruata Papæ Vota recensendo, inter ea Votum de ingredienda Religione non nominat. Ergo cum S.Thomas dicit Votum de Ingressu Religionis, dum scriberet, potuisse à quocumque Prælato dispensari; Votum verò Religionis iam actum à solo Papa, euidenter ponit hanc differentiam inter Votum de Ingres-


su

ſu Religionis, & Votum Religionis iam actum, quod primum à Prælatis Papæ inferioribus diſpenſari potuiſſet, ſi prohibiti non fuiſſent; ſed Votum Religionis iam actum eſſet diſpenſabile tantum à Sum. Pontifice. Ergo hanc poteſtatem ordinariam diſpenſandi in Religionis Voto iam acto S.Thomas ſoli Papæ attribuit.

63 Nec quemquam turbet illa Siluij loco cit. excogitata ponderatio verborum S.Thomæ, dum ait S.Thomam in illa reſpon. ad 3. dixiſſe ad Papam pertinere diſpenſare Vota maiora: nomine verò Votorum maiorum vult S.Doctorem intellexiſſe omnia Vota diſpenſabilia reſeruata Papæ, quæ alibi S.Thomas dixit perpetua, nam, inquit, plura Vota ſunt perpetua, ſed Papæ non reſeruata, quia non ſunt maiora: quædam verò ſunt Vota maiora perpetua, ſed indiſpenſabilia apud S.Thomam, vt Votum Religionis ſolemnizatum: maiora ergo perpetua exiſtimat S. Thomam dixiſſe quædam eſſe indiſpenſabilia etiam à Papa, & quædam eſſe diſpenſabilia; tamen reſeruata Papæ diſpenſatione. Sed concedimus quidem Siluio non omnia Vota, quæ ſunt perpetua, eſſe maiora, & Papæ reſeruata: nam multa ſunt Vota temporalia, & maiora Papæ reſeruata, vt Peregrinatio Terræ Sanctæ, & multa non maiora, ſed perpetua non reſeruata, ſicut Votum Ieiunij per totam vitam; dicimus tamen docuiſſe S. Thomam Vota quædam eſſe de Iure diuino reſeruata ſoli Papæ, & hæc eſſe inter maiora, & perpetua: hoc ſonat illud Sincathegorema, *huiuſmodi*, additum à S. Thom. in 4. loco cit. quæſtiun. 2. Voto Religionis, cum dixit, *Votum Religionis, & huiuſmodi*. Vbi notandum eſt S. Doctorem enumerando Vota maiora Papæ reſeruata 2. 2. àrt. illo 12. ad 3. dixiſſe Vota maiora eſſe Continentiæ, & Peregrinationis Terræ Sanctæ: In 4. verò in illa quæſtiun. 2. inquit In Voto Religionis ſolum Papam poſſe diſpenſare: In Voto autem Peregrinationis Terræ Sanctæ Epiſcopum diſpenſare non poſſe, ſicut in alijs temporalibus Votis; non quia de Iure ordinario id non poſſet, ſed *quia ſibi illud*

Papa

Papa reseruauit. Constat ergo ex S.Thom. Episcopum posse authoritate ordinaria dispensare super omnibus Votis, quæ non sunt de Iure diuino dispensabilia nisi tantum à Papa: si verò super quibusdam ex illis dispensare non potest, hoc euenit quia prohibetur. Verùm amota qualibet Papæ prohibitione, Votum Religionis iam actum dispensari non potest ab inferioribus Papæ, prout colligitur ex S.Thomæ doctrina iam tradita, ex qua habemus S.Thomam dixisse Episcopum dispensare potuisse in Voto Peregrinationis Terræ Sanctæ, sed de Iure positiuo prohibente hunc vsum ordinariæ potestatis, ab eo fieri indispensabile: nunquam verò inueniemus S.Doctorem dixisse Episcopum dispensare potuisse in Voto Religionis Religiosa professione solemnizato. Ergo in eius doctrina super Voto Religiosæ professionis iam acto, quod dixit esse dispensabile, à solo Papa authoritate ordinaria dispensatur.



In

IV.

1 *In Religione cum Voto simplici paupertatis nonpotest cohærere dominium.*

2 *In Religione cum Voto simplici paupertatis potest cohærore dominium.*

3 *Sancti Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

In Religione cum Voto simplici paupertatis non potest cohærere dominium.

64 
Aec Conclusio colligitur ex his, quæ docet Sanctus Thomas 2.2 q. 186. art.3. vbi sic ait *ad perfectionem charitatis acquirendam primum fundamentum est voluntaria paupertas, vt aliquis absque proprio viuat*, & q.188. art.7. iterum ait, *habere aliquid proprium perfectioni Religionis repugnat.* Ergo in Religione cum Voto simplici paupertatis de mente S.Thomæ non potest cohærere dominium, probatur consequentia, quia qui habet dominium, habet proprium, sed habere proprium repugnat perfectioni Religionis secundum S. Thomam, ergo secundum eundem consequenter dicendum erit habere dominium repugnare perfectioni Religionis, tunc sic; sed cum Voto simplici paupertatis cohæret dominium, vt patet in Religione Societatis. Ergo Votum simplex paupertatis, cum quo

cohæret dominium, in ſententia S.Thomæ repugnat perfectioni Religionis; ergo in Religione cum Voto ſimplici paupertatis de mente D.Thomæ non poteſt cohærere dominium.

Concluſio quæ cenſetur S. Thomæ oppoſita.

In Religione cum Voto ſimplici paupertatis poteſt cohærere dominium.

65 HAec propoſitio habetur pro definita à Gregorio XIII. in ſuis Conſtitutionibus ita clarè, vt Luiſius Turrianus Cenſurarum Theologicarum Cent. 4. dub. 38. oppoſitum dixerit eſſe errorem: nam Sum. Pontifex in Bulla, quæ incipit, *Quantò fructuoſius*, ita loquitur de ijs, qui in Societate poſt biennium Religionis Vota emiſerint, *quod verò ad paupertatem attinet; quamuis bonorum ſuorum ius, & dominium, &c. ad tempus retinere valeant, &c. in illorum tamen vſu religioſam paupertatem ſeruant, nec vlla re tamquam propria, & ſine Superioris facultate vti poſſunt*, & iterum in Bulla, quæ incipit, *Aſcendente*, ait, *licet qui ad gradus Profeſſorum, & Coadiutorum formatorum non dum peruenerunt, bonorum ſuorum ius, atque dominium retinere valeant, &c. interim tamen Religioſam paupertatem ſeruant, nec vlla re tanquam propria vti poſſunt*. Igitur in Religione cum Voto ſimplici paupertatis poteſt cohærere dominium: Probatur Conſequentia; nam Summus Pontifex definit in Societate, quæ eſt Religio, cum Voto ſimplici Paupertatis poſſe cohærere dominium, ergo definit in Religione cum Voto Paupertatis poſſe cohærere dominium.

S.Tho-

S.Thomæ doctrinæ veritas.

66 S. Thomas ne dum docuit nihil, quod Gregorij Pontificis præfatis definitionibus cõtradiceret; verùm potiùs Gregorius S. Thomæ doctrina vsus est, dum easdem definitiones edebat; quod vt euidenter appareat, suppono quæ S. Doctor tradidit 2.2. locis citatis 3. c. g. Cap.131. & 135. & opusc. 17. Cap 15. vbi de re, de qua agimus, fusior illi sermo fuit: Vbique docet Religiosam paupertatem illam esse, in qua aliquis sine proprio viuit, cuius vitæ laudabiliorem finem constituit, vt à solicitudinibus terrenis liberatus, libe-
67 riùs diuinis, & spiritualibus vacet. Hic est quod 2. 2. q. 188. art. 7. statuit paupertatem esse instrumentum perfectionis: ideòque inquit, *non oportet quod Religio tantò sit perfectior, quantò maiorem habet paupertatem; sed quantò eius paupertas est magis proportionata fini communi, & speciali*: Præterea 3. c. g. Cap. 135. docet illum esse laudabiliorem modum viuendi in paupertate, *qui magis à solicitudine temporalium & occupatione circa ea hominis animum reddit immutatum.*
68 In dicto Capite enumerat quosdam modos viuendi in paupertate. Primus est, vendere possessiones, & de precio cõmunitèr viuere; Secundus est, possessiones habere communes, ex quibus singulis prouideatur, prout cuique opus fuerit; Tertius est, de laboribus manuum viuere; Quartus est, nihil omninò possidere, sed viuere de his, quę
69 ab alijs inferuntur. Alios modos S.Doctor nõ recensuit, quia nullibi, dum viueret, Religiosi alios modos viuendi in paupertate præter enumeratos admittebant, verum modum viuendi in paupertate seruato dominio, sed abdicato vsu, cohærere potuisse cum Voto paupertatis in aliqua Religione possibili, ex ipsius S. Doctoris principijs patet euidentèr.
70 Nam per hunc modum viuendi in paupertate excluditur omninò habere proprium, quod S. Doctor dixit

E 2 repu-

repugnare Religioni : Ergo modus iste viuendi in paupertate potest in sententia ipsius cum Voto Paupertatis in Religione cohærere. Probatur Antecedens ex opusc. 17. Cap. 15. vbi docet, cum priùs possessiones omnes venderentur in Ecclesia, postea Prælatos Ecclesiæ vtile iudicasse vt possessiones in communi ab Ecclesia possiderentur : ex quibus probat non repugnare Monachorum perfectioni habere possessiones in communi; Constat ergo docuisse S. Thomam habere possessiones in communi Religiosis concessum esse ab Ecclesiæ Prælatis : ideòque hoc esse de iurè positiuo, & ab Ecclesiæ Constitutione pendere; sed sicut habere Possessiones in communi concedere potuerunt Ecclesiæ Prælati quibusdam Religionibus, quod nihil aliud est, quam singulos Religiosos collectiuè habere Ius, & dominium illarum Possessionum; vsum verò esse superiorum arbitrio reseruatum, quo modo viuendi in paupertate cum dominio in communi, & vsu apud superiores admisso, singuli Religiosi, cum nulla re vti possint tanquam propria, Religiosam paupertatem seruant; quarè ergo nō poterunt aliqui Religiosi ex Summorum Pontificum institutione habere singuli diuisiuè Ius, & Dominium aliquarum Possessionum; & hoc non obstante seruare Religiosam paupertatem, si nulla re tanquam propria, & sine Superioris arbitrio vti possint: Vndè sapientissimè S. Thomas opusc. cit. dixit, *Manifestum est igitur ad cumulum perfectionis pertinere, quod aliqui possessiones non habeant, nec particulares, nec communes*, quasi diceret, continuato Superiori discursu, Monachi in Aegypto primæ perfectionis æmuli possessionibus caruerunt, sed hoc ad cumulum perfectionis ipsorum pertinebat, non ad essentiam perfectionis Religiosæ; si verò ad hunc cumulum perfectionis non pertingat Religiosa perfectio; dum possessiones in communi, vel in particulari admittit; adhuc tamen Religiosæ perfectionis essentiam seruat. Igitur si possessiones habeantur particulares, vel communes, tunc extingueretur Religiosa paupertas, cum singuli Religiosi habe-

haberent possessionum istarum proprium vsum, & possessionibus vterentur vt proprijs, nullo expectato Superioris arbitrio: hoc enim pertinet ad solicitudinem, quæ habetur de rebus proprijs, & ad amorem priuatum, qui contrariatur charitati, quæ non quærit, quæ sua sunt; sed si præfatus vsus absit, seruato dominio in communi, vel in particulari, tollitur omnis ratio proprij, quod Religiosæ paupertati repugnet, & amouetur omnis solicitudo, omnis amor priuatus, & consequenter omne impedimentum Religiosæ perfectionis, qua ordinatur Religiosus ad perfectionem charitatis, vt docet S.Tho. 2.2. q. 188. art.7.

71 Quapropter S. Doctor opusc. cit. cum retulisset hæc verba S. Hieronymi, *suspirat eos Ecclesia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos*, inquit, S. Hieronymum innuere voluisse, *periculum paupertatis amittendæ, quod imminet plerisque Monachorum communes possessiones habentium.* Hoc periculum in quo consisteret explicauit 2.2.illo art.7. ad 3. dicens, *Verbum Hieronymi locum habere, vbi sunt superabundantes diuitiæ, quæ habentur quasi propriæ*, vbi S.Doctor non loquitur de Iure, & Dominio Possessionum, quia cum istæ à quibusdam Religiosis ipso viuente, & probante possiderentur in communi absq; dispendio Religiosæ paupertatis, ex hoc inferre non poterat periculum amittendæ paupertatis in aliquo Religioso particulari; cum nemo illorum posset habere hoc ius, & dominium quasi proprium, nec de illo Iure disponere posset tanquam proprio; hoc enim ius est apud singulos collectiuè, videlicèt,in cõmunitate collectos. Loquitur ergo S. Doctor de vsu bonorum, quæ possidentur in communi, quem vsum Monachus, si haberet tanquam proprium,immineret ei periculum amittendæ paupertatis. Ergo sentit S. Thomas,si absit vsus bonorum, nullum Monacho, seu cuicumque Religioso imminere periculum amittendæ paupertatis, quamuis Ius dominij, siue communitatis, siue singularis Religiosæ personæ adhuc vigeat.

72 Duplex exemplum huius doctrinæ sumo ex Sacra

Scrip-

Scriptura in sensu, quo à S. Thoma interpraetatur accepta: Primum est ex Apostolo, qui 1. ad Cor. 7. sic ait *Qui sine uxore est, solicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuisus est*. Hic Apostolus proponit consilium de Virginitate seruanda, sed hoc eius consilium ad eos etiam extenditur, qui consumato matrimonio, pari consensu separati, in Religione approbata continentiam Vouent, isti post solemne Votum continentiæ se non priuant iure reciproco, quod mutui corporis est inter eos, quia Matrimonium adhuc in sua essentia persistit, sed solum se priuant vsu, quod post Religiosum Votum sine sacrilegio habere amplius non possunt. En essentialiter Religiosi per Votum continentiæ, qui seruato quodam iure, & dominij potestate priuata in coniugis alterius corpus respectiuè, vsum omninò abdicarunt, & ita dicuntur esse sine Vxore, & sine Viro, non quantum ad dictam priuatã potestatem quasi dominatiuam; sed quantum ad vsum, & ad solicitudinem quomodo placeant sibi ad inuicem, cum iam soliciti esse debeant quomodo placeant Deo. *Vt curis mundi expediti liberius illi vacent*, inquit S Do-
73 ctor op. cit. Aliud exemplum fit ex eodem Apostolo, qui ad Gal. 4. ita dicit. *Quanto tempore hæres paruulus est nihil differt à seruo cum sit Dominus omnium*, explicat S. Thomas lect. p. ibidem. *Paruulus licèt sit Dominus omnium rerum suarum, tamen in quantum subijcitur alijs, nihil differt à seruo; quia nec voluntatem liberam habet; immò cogitur*. Si ergo aliquis ex Voto, quod ex parte Vouentis esset perpetuum, subijceretur alteri, & voluntatem liberam deponeret se illi non subijciendi, & ex vi Voti ad id cogeretur, certè sentiret S. Tho. illum per totam vitam, licet esset dominus bonorum suorum, nihil differre à seruo, hoc est ab eo, qui nullum haberet dominium, quia per totam vitam cogeretur nunquam vti posse aliqua re sua tanquam propria.

74 Confirmantur quæ hucusque diximus ex doctrina, quam tradit S. Thom. 2. 2. in corp. illius art. 7. quæst.

188

188. Vbi ſtatuit paupertatem eſſe debere proportionatam fini, ne dum communi, ſed & ſpeciali cuiuſcumque Religionis. Si ergo fini ſpeciali alicuius Religionis eſſet proportionatus modus viuendi in paupertate, ita vt nulla re tanquam propriaReligliosus vti poſſet;quamuis bonorum ſuorum dominium ſibi reſeruaret: certè cum ex illa ſola vſus abdicatione Religioſæ paupertatis eſſentia in ſententia S. Thomæ maneat, vt ex ſupradictis patet, ipſe illam Iuris, ac dominij conſeruationem admitteret, vt talis paupertas eſſet fini ſpeciali Religionis illius proportionata. Proponamus modò S. Doctori noſtro Religionem Societatis, in qua poſt biennium Religioſi, abdicato vſu, retinent ſuorum bonorum dominium: ad hunc finem, inquit, Greg. Pontifex, *vt Maiorem Societas habeat libertatem illos, ſi opus fuerit, cum minori offenſione dimittendi*, iſtum finem Societas difficillimè conſequeretur, niſi Religioſi poſt biennium ſeruarent ſibi bonorum ſuorum dominium, vt patet: Certè ergo S. Tho. diceret paupertatem Societatis accomodatam eſſe fini huius Religionis, & conſequenter hanc paupertatem, quæ, retento dominio vſum abdicat, ſtatueret eſſe Religioſam paupertatem, quia ipſe docet illam eſſe Religioſam paupertatem, quæ eſt alicuius Religionis fini ſpeciali accomodata.

75 Immo hunc modum viuendi in paupertate, quo Societas vtitur pro Religioſis poſt biennium, S. Thomas, ni fallor, conſuluit 3. c. g. cap. 135. dum interpratatur illud Domini præceptum: *Nolite cogitare de craſtino*, quæ Domini verba quidam opponebant Religioſis habentibus poſſeſſiones in communi, quaſi id Domini noſtri ſententia illis vetitum eſſet, ſed inquit S. Doctor, *per quod non prohibuit, quin conſeruaremus ea, quæ ſunt nobis in craſtinum neceſſaria ſuo tempore*; cum ergo in Societate Religioſi poſt biennium poſſint dimitti, & ex iuſta cauſa de facto dimittantur, huiuſmodi Religioſi non ita debent ſe committere diuinæ prouidentiæ, vt prætermittant humana media illis omninò neceſſaria ad viuen-

dum

dum ſuo tempore, hoc eſt in caſu, quo dimitterêntur. Vnde iſti Religioſi de mente S. Thomæ non prohibentur à Domino, dum illis dixiſſe ſupponitur, *nolite cogitare de craſtino*, cogitare de illo tempore, quo ad Sæculum reducti indigerent rebus ad victum neceſarijs, nec ex eodem S. Doctore Religioſam paupertatem offendunt, cùm paupertatem Vouent ſecundum modum, qui eſt fini ſpeciali Societatis proportionatus, ſcilicet, dum iſti Religioſi in Religionis ſtatu pauperes viuunt; quia etſi dominium bonorum ſuorum ſeruent; vſum tamen eorundem bonorum omninò deponunt.

76 Ex dictis patet S. Thomam nunquam dixiſſe Religioſos de proprio viuere, ſi abdicato vſu bonorum ſuorum dominium, & Ius ſibi retinerent; ſed potiùs docuiſſe in aliqua Religione hunc paupertatis modum fuiſſe poſſibilem, ſi fini illius ſpeciali eſſet accomodatus. Huic doctrinæ Greg. Pontifex inhærendo, Societatis inſtitutum à S. Thoma poſſibilem habitum de facto approbauit, dictumque modum viuendi in Religioſa paupertate à S. Thoma admiſſum, tanquam fini ſpiciali Societatis proportionatum, eidem indulſit pro Religioſis poſt biennium, & conſequenter Sum. Pontifex, abdicato vſu, dominium cum Religioſa paupertate optimè cohęrere poſſe iuxta S. Thomæ ſententiam definiuit.



Pa-

V.

1 *Pater, & Filius possunt dici duo spiratores Spiritus Sancti.*

2 *Pater, & Filius non sunt duo spiratores Spiritus Sancti.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Pater, & Filius possunt dici duo spiratores Spiritus Sancti.

77 Ita S. Thomas 1. dist. 11. quæst. 1. art. 4. & dist. 29. quæst. 1. art. 4. ad 2.

Conclusio, quæ censetur supradictæ opposita.

Pater, & Filius non sunt duo spiratores Spiritus Sancti.

78 
TA S. Thomas p.p. q. 36. art. 4. ad 7. & Conc. Lugdunense, vt habetur. *Cap. Vnico de Sum. Trinit. in 6.* per hæc verba, *Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit*, & infrà *damnamus, qui temerario ausu asser-*

asserere præsumpserint quod Spiritus Sanctus à Patre, & Filio tanquam ex duobus principijs, & non tanquam ex vno procedat. Præterea Concilium Florentinum in litteris Vnionis sic dixit. *Definimus quod Spiritus Sanctus à Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio, & ex vtroque æternaliter tanquam ab vno principio*, & *vnica spiratione procedit*.

Ex his arguitur contra 1. Propositionem à S. Tho. in 1. sent. assertam: nam si ponantur plures Spiratores, poni videntur etiam plura principia, quod est contra supra adducta Concilia. Præterea per S. Thomam p.p. vbi supra Pater, & Filius dicendi sunt vnus Spirator propter vnam spirationem. Ergo si dicerentur plures Spiratores, essent ponendæ plures Spirationes; sed hoc etiam esset contra definitionem eorundem Conciliorum. Ergo contra eorundem Conciliorum definitionem est dicere *Pater, & Filius sunt plures Spiratores*, & consequenter in prima Propositione, in qua id asseritur, S. Thomas errauit.

Sancti Thomæ doctrinæ veritas.

79 Respondetur S. Thomam perpetuò docuisse Patrem, & Filium esse dicendos vnum Principium Spiritus sancti, & vnica spiratione eundem spirare vnaque relatione ad ipsum referri. Ita in p. dist. 11. quæst. 1. art. 2. d. 29. quæst. 1. art. 3. & 4. p.p. quæst. 36. art. 4. in cor. &c. Quapropter S. Doctor eodem modo semper scripsit de hac vnitate principij, & spirationis actiuæ Spiritus Sancti, quo Lugdunense, & Florentinum Concilia loquendum esse definiere. De hoc
80 vero nomine *Spirator* remanet inter Theologos controuersia, Vtrum scilicet, sit accipiendum vt adiectiuum vel vt substantiuum. De hac tamen differentia grammaticali Concilia nihil diffiniere. Qui accipiunt nomen *Spiratoris*, vt adiectiuum, dicunt Patrem, & Filium esse

esse duos Spiratores, qui hoc nomen accipiunt, vt substantiuum, dicunt Patrem, & Filium esse vnum Spiratorem: prioribus consensit D. Tho. in 1. locis citatis; sed re attentiùs inspecta, putauit in p.p. cit. meliùs dicendum esse cum posterioribus. Vtrumque sustineri potest
81 salua vnitate Principij, & Spirationis actiuæ iuxtà definitionem Conciliorum: si enim attendatur ad Patrem, & Filium prout sunt duo supposita distincta, hæc distinctionis conditio facit, vt dici possint duo Spiratores, sicut dicuntur duo Spirantes; ita S.Thomas illo art. 2. p. sent. & tunc *Spiratoris* nomen accipitur adiectiuè, veluti accipitur nomen Spirantis: Si verò attendatur ad vnicam spirationem, qua Pater, & Filius spirant, Pater & Filius dicendi sunt vnus Spirator; quia tunc nomen *Spiratoris* accipitur substantiuè; sicut enim Pater, & Filius dicuntur vnus Deus propter vnitatem formæ significatæ per hoc nomen, *Deus*, ità dicuntur vnus Spirator propter vnitatem spirationis significatæ per hoc nomen, *Spirator*. Ità S.Tho. seipsum explicauit opusc. LXXII.

82 Ad arg. in contrarium respondemus male deduci ex hoc, quod dicitur Patrem, & Filium esse duos Spiratores, dicendos esse consequenter etiam duo Principia, & spirare duplici spiratione: nam vt docet S. Tho. in illo art. 2. p. sent. Spiratoris nomine importatur conditio agentis; nomine verò Principij importatur forma: qua agens agit: vnde cum Pater, & Filius sint supposita distincta, propter hanc distinctionis conditionem dici possent duo Spiratores, sed non etiam duo Principia, quia Principium huius actus, qui est spirare, est vnum, & simplex, dicitque proprietatem communem, quæ significatur hoc nomine Principij, vt docet S. Thomas p.p. cit. Item Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio inquantum sunt vnum; sunt autem vnum in communi spiratione, quæ nominat specialem rationem Principij secundum specialem modum originis vnius simplicis personæ, quæ est Spiritus sanctus, vt docet S. Tho. loco citato ex p.p. & illo art. 3. d. 29. primi sent. Vnde sequi-

 tur

tur Patrem, & Filium dicendos esse vnum Principium Spiritus Sancti, quorum est vnus Spirationis actus, vna spiratio, vna relatio ad personam eiusdem Spiritus Sancti, etiamsi dicerentur à distinctione suppositorum duo Spiratores.

83 S.Thomas ergo benè dixit Patrem, & Filium esse plures Spiratores, sicut sunt plures Spirantes, quando in primo sent. loco cit. nomen *Spiratoris* accepit adiectiuè; quia nomen adiectiuum habet numerum à pluralitate suppositorum; quandò verò dicendum putauit p.p. Patrem, & Filium non esse duos Spiratores, iudicauit vnicam eorum spirationem, qua spirant Spiritum Sanctum, potiùs exprimēdam esse nomine vnius Spiratoris, quam pluralitatē suppositorū nomine pluriū Spiratorum: ideòque tūc nomen *Spiratoris* accipiendum esse docuit substantiuè, ex quo intulit Patrē, & Filium ab vnica spiratione dicendos esse vnicus Spirator, sicut dicuntur vnus Deus, vt supra explicatum est. Vndè sequitur vtrumque bene scripsisse S.Tho. nec in aliquo Sacris Concilijs refragrari.





Hac

VI.

1 *Hæc Propositio, Filius Dei assumpsit hominem non est hæretica.*

2 *Hæc Propositio, Filius Dei assumpsit hominem est hæretica.*

3 *Sancti Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio Sancto Thomæ attributa.

Hæc Propositio, Filius Dei assumpsit hominem non est hæretica.

84 

TA S. Thomas 3.d.6.q.1.ar. 2. vbi ait, *sciendum tamen quod prima opinio nullum prædictorum modorum vnionis ponebat, vndè non est hæretica*. Prima autem opinio hæc erat, vt dicit S.Tho. 3. p.q.2. ar. 6. in corp. *quidam enim eorum concesserunt vnam Christi personam, sed posuerunt duas hypostases, siuè duo supposita, dicentes hominem quendam compositum ex corpore, & anima à principio suæ conceptionis esse assumptum à Dei Verbo; & hæc est prima opinio, quam Magister ponit in 6. dist.3. lib. sent.*

Con-

Conclusio S. Thomæ, quæ præcedenti opposita censetur.

Hæc Propositio, Filius Dei assumpsit hominem est hæretica.

85 ITa S.Thomas 3.p.q.2.art.6. in cor.fin.per hæc verba, *similiter etiam prima opinio, quæ ponit duas hypostases, & tertia, quæ ponit vnionem accidentalem, non sunt dicendæ opiniones, sed hæreses in Concilijs ab Ecclesia damnatæ*. Et q.4. art,3. dicit, *Vnde & prima opinio, quæ ponitur in 6. dist.3. lib. sent. concedit hominem esse assumptum; sed illa opinio erronea est, vt supra dictum est*. Ex his formatur hoc argumentum. Hæc Propositio, *Filius Dei assumpsit hominem*, quam concedebat prima opinio, est hæretica, quia est in Concilijs damnata. Ita S.Tho. 3.p. locis citatis. Ergo S.Tho. errauit quando dixit in 3. sent. primam opinionem, quæ concedebat Filium Dei assumpsisse hominem, non esse hæreticam, cum sit contra Conciliorum definitionem.

S.Thomæ doctrinæ veritas.

86 REsp. S.Thomam in 3. sent. non dixisse absolutè, & simpliciter illam propositionem non esse hæreticam, sed primam opinionem, *secundum quod nullum prædictorum modorum vnionis ponebat*, non esse hæreticam, ad cuius rei intelligentiā sciendum est prædictos modos vnionis, de quibus S.Tho. ibi mentionem fecerat, esse tres, & omnes accidentales, primus, prout vnitur tunica homini; secundus prout lapis aggregatur lapidi in aceruo; tertius prout vnitur anima Deo per gratiā: Quia ergo

ergò Authores primæ opinionis, dum concederent in Christo vnam personam, ponebant in ipso duo supposita vnita, sed non accidentaliter secundum modos prædictos, & hoc modo putabant declinare hæresim Nestorij, & aliorum, qui ponebant in Christo vnionem secundum quid, & accidentalem, quamuis in eandem hæresim per ignorantiam inciderint; nullam vnionem accidentalem in Christo admittebant; & ideò quantum ad hanc partem, hæresim, quæ ponebat in Christo vnionem accidentalem, declinabant. Vndè S.Tho. dicit primam opinionem ità limitatam non esse hæreticam, secundum hunc sensum præcisè, quia nullum prædictorum modorum accidentalium vnionis ponebat; sed in 3. p. dixit, propositionem illam primæ opinionis hæreticam, & in Concilijs ab Ecclesia damnatam; quia ibi de illa propositione agebat, non secundum hunc vel alium sensum, sed simpliciter, & absolutè accepta, prout in Concilijs fuerat agitata, & prædamnata.

vt fusius probatur 4.c.g. c. 38.




Hac

VII.

1 *Hæc Propositio, Ille homo cæpit esse Deus est falsa, sed non hæretica.*
2 *Hæc Propositio, Ille homo cæpit esse Deus, est hæretica.*
3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio Sancto Thomæ attributa.

Hæc Propositio, Ille homo cæpit esse Deus, est falsa, sed non hæretica.

87 TA S. Thomas 3. d. 6. q. 1. art. 2. vbi sic ait loquendo de prima opinione, de qua supra, *vndè non est hæretica, sed ponebat quod erat facta vnio secũdum hoc, quod persona Verbi incæpit esse illa substantia, quod quidem non est intelligibile vt duorum vnum fiat alterũ, nisi per conuersionem vnius ad alterum; immò impossibile est, vt prius dictum est; & ideò non sustinetur,* & dist. 12. q. 1. art. vn. ad 7. dicit, *idem iudicium est de ista, Homo incæpit esse Deus, &, homo factus est Deus,* & eędem rationes vtrobique fieri possunt, & ideò requiratur supra distin. 7. vbi inquisitum est vtrum homo factus sit Deus. In illa verò dist. 7. q. 2. art. 2. dixit Illam Propositionem esse veram, vel falsam secundum varias opiniones, & 3. p. q. 16. art. 9. dixit hanc propositionem, *iste homo,* demonstrato Christo, *incæpit esse*

esse, falsam esse; sed etiamsi esset vera, non esset ea vtendum absque determinatione, *scilicet, secundum humanitatem*, (vt dicit ad 1.) *ad euitandum hæresim Arrij, qui attribuit filio Dei quod erat quando non erat*, vt dixit in corpore.

Conclusio, quæ censetur supradictæ opposita.

Hæc Propositio, Ille homo cæpit esse Deus; est hæretica.

88 ITà D.Tho. 3.p. q.2. art.6. vbi ait primam opinionem non esse dicendam opinionem, sed hæresim: Prima autem opinio, vti dicit 3.d.6. q.1. art.2. asserebat personam Verbi incæpisse esse illam substantiam, quæ propositio æquiualet huic, *Deus incæpit esse homo*, & huic, *homo incæpit esse Deus*, prout docet 3.d.7. q.2. art.2. quia in vtraque Propositione sunt ijdem termini, sed conuersim positi. Ergo S.Tho. errauit dum propositionem assertam à prima opinione dixit nō esse hæreticam.

S.Thomæ doctrinæ veritas.

89 REsp. S.Thomam 3.p. cit. dixisse primam opinionem esse hæreticam, quia ponebat in Christo vnam personam, & duo supposita; ideòque incidisse in hæresim Nestorij per ignorantiam in sensu supra à nobis exposito; secundum quod verò dicebat illa duo supposita ità vnita, vt incæperit persona Verbi esse illa substantia, scilicet, homo, dixit S.Th. secundum principia illius primæ opinionis eam esse inintelligibilem, cum hæc opinio si non verbis, in re tamen omnem excluderet vnionem, tam substantialem, quam accidentalem: vndè sequebatur, inquit, non potuisse personam Verbi inci-

pere esse illam substantiam, nisi per conuersionem vnius ad alterum, quod est impossibile. Prima ergo opinione hæreticorum iudicata, illam propositionem. *Homo cæpit esse Deus*, dixit S.Tho. 3.p. esse falsam, sed quia secundum quorundam opinionem vera putabatur, vt dixerat cit. dist.7. illam enim in sensu catholico quidam explicabant. S. Doctor nulla facta mentione de Censura speciali, qua in sensu falso digna esset illa propositio, monuit 3. p. ad declinandam etiam in Verbis prolatis omnem suspicionem hæresis Arianæ, limitandam esse ab omnibus hac determinatione (secundum humanitatem) quod satis erat ad institutum illius quæstionis, quam dissoluebat, & ad instruendum vtriusque opinionis sectatores, qui veritatem, vel falsitatem illius propositionis propugnabant.

Appendix.

90 INuenio apud quosdam fuisse Sancto Thomæ impositum eum malè dixisse 3.p. q.2. art.3. erroneum tantum esse in Christo ponere duas hypostases; nam huic propositioni debebat Censuram hæresis adiungere; cum damnata sit in Concilio Ephesino primo.

Sed qui id Sancto Thomæ imponunt, legerunt initium tantum corporis articuli; si enim ad postrema illius verba peruenissent, cognouissent S.Doctorem illi propositioni Censuram hæresis adiunxisse: ait enim ibi propè finem, *sic ergo patet esse hæresim olim ab Ecclesia damnatam dicere quod in Christo sunt duo hypostases, vel duo supposita*.

91 In 3.d.6. q.2. art.3. inquit Siluius 3.p. q.2.art.4. negasse S.Thomam personam Verbi per Incarnationem dici posse compositam, sed 3.p. cit. id dici posse affirmauit, quod expressè videtur definitum in 5.Synodo, alijsque sacris Concilijs, vt refert Suarez 3. p. Tomo 1.
92 disp.7. sec.4.§.*Dico* tertio.

Verum S. Thomas in 3. citat. non negauit in persona Verbi Incarnati nisi imperfectiones, quas com-

compoſitio partium inducit; hanc autem perſonam per Incarnationem compoſitam dixit in 3. p. inquantum vnum in duobus ſubſiſtit, quod in perſona Verbi vt ſupra accepta nullam inducit imperfectionem. Hoc patet in reſpon.ad 4 in 3.ſent.dum inquit, *Quamuis compoſitio quantum ad aliquid ſaluetur in Incarnatione Verbi; nullo tamen modo eſt ibi ratio partis*. Idem repetit ad quintum vbi perfectam rationem compoſitionis innuit conſiſtere in partium vnione, ſed in 3. p. ad 2. ar.cit. docet compoſitionē perſonæ ex naturis non dici eſſe ratione partium, ſed ratione numeri:Caiet. 3.p. cit. rectè explicauit S. Doctoris mentem per hæc verba. *Ad tertium dubium, habita ratione eorum, quæ Author in 3.ſent. d.6. dicit, quamuis non tam alta ſint vt hæc, reſpondetur quod quia apud nos compoſitio abſque imperfectione componentium intelligi non poteſt ſalua ſua ratione formali, ideò non ſimpliciter, neque formaliter admittenda videtur in perſona Chriſti, ſed cum determinatione aliqua tollente imperfectionem vnius compoſiti admitti poteſt, & admiſſa eſt ſimpliciter*, & *formaliter ab Antiquis & ab Authore*, quod Caietani conſilium non diſplicuit Suarez vbi ſupra circa finem, & vt aduertit Card. Lugo de Myſterio Incar. diſp 10. ſec. 3. n. 6. S. Thomas in 3. p. cit. non conceſſit perſonam Verbi poſt Incarnationem eſſe compoſitam niſi cum reduplicatione; ait enim ibi in corp. *& ſic dicitur perſona compoſita, in quantum vnum in duobus exiſtit*.



VIII.

1 *Homo ſine auxilio Dei gratuito poteſt ex ſolo libero arbitrio ſe ad gratiam, & ad fidem præparare.*

2 *Homo ſine auxilio Dei gratuito non poteſt ex ſolo libero arbitrio ad gratiam & fidem ſe præparare.*

3 *Sancti Thomæ doctrinæ veritas:*

Concluſio S. Thomæ attributa.

Homo ſine auxilio Dei gratuito poteſt ex ſolo libero arbitrio ſe ad gratiam & ad fidem præparare:

93 

TA ſentire videtur S. Tho. 2. di 28. quæſt. 1. art. 4. per hæc verba, *& ideò alijs conſentiendo dicimus quod ad gratiã gratum facientem habendam ex ſolo libero arbitrio ſe homo poteſt præparare; faciendo enim quod in ſe eſt, gratiam à Deo conſequitur: hoc autem ſolum in nobis eſt, quod in poteſtate liberi arbitrij conſtitutum eſt*, idem videtur repetere d. 5. quæſt. 2. ar. 1. in cor. 1. 2. quæſt. 89. art. 6. & de Verit. q. 14. art. 11. ad primum, vbi ait, *ſi aliquis taliter nutritus* (ſcilicet in Siluis) *ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſimè eſt tenendum*

quod

quod ei Deus per internam inspirationem reuelaret, quæ sunt ad credendum necessaria, & ad secundum ibidem inquit, *quamuis non sit in potestate nostra cognoscere ea, quæ sunt fidei ex nobis ipsis, tamen si nos fecerimus, quod in nobis est vt, scilicet, ductum naturalis rationis sequamur, Deus non deficiet nobis de eo, quod nobis est necessarium.*

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita,

Homo sine auxilio Dei gratuito non potest ex solo libero arbitrio ad gratiam, & ad fidem se præparare.

94 CONclusio est de fide definita in pluribus Concilijs, & præcipuè in Tridentino sess. 6. cap. 5. quam ipse S. Tho. tradidit pluribus suæ doctrinæ locis, & precipuè de verit. quæst. 24 art. 15. & 1. 2. quæst. 109. art. 6. Vbi in fin. corp. sic ait. *Vndè patet quod homo non potest se præparare ad lumen gratiæ suscipiendum nisi per auxilium gratuitum Dei interiùs mouentis*, & ad secundum dicit *nihil homo potest facere nisi à Deo moueatur, &c. & ideò cum dicitur homo facere, quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis secundum quod est motus à Deo*, & in resp. ad 4. inquit, *hominis est præparare animam, quia hoc facit per liberum arbitrium: sed tamen hoc non facit sinè auxilio Dei mouentis, & ad se attrahentis*, & quæst. 112. art. 2. dicit, *quæcumque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Deo mouentis animam, & secundum hoc ipse bonus motus liberi arbitrij, quo quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum, est actus liberi arbitrij moti à Deo*, & art. 3. sic ait, *præparatio hominis ad gratiam est à Deo sicut à mouente; à libero autem arbitrio sicut*

sicut à moto, his consentanea scribit 3. c. g. Cap. 149. & 159. quodl. 1. quæst. 4. art. 2. vbi inquit *ad errorem Pelagianorum pertinet dicere quod homo possit se ad gratiam præparare absque auxilio diuinæ gratiæ*, & ibidem in fine sic ait *nullus potest se ad gratiam præparare nec aliquid boni facere, nisi per diuinum auxilium*; legendus est etiam S. Doctor lec. 3. in cap. 10. ad Rom. & alibi: ideòque Caietanus 1. 2. quæst. 109. ad art. 6. putauit S. Thomam illo loco, quæ dixerat in 2. sent. ad meliorem sensum reduxisse, declarando, & addendo. Alij vero dicunt in 2. sent. eum voluisse simpliciter dispositionem vltimam ad gratiam iustificantem posse esse actum elicitum solis naturæ uiribus, quod tamen retractasse putant 1. 2. in illo art. 6. quæst. 109. Videndus Card. Lugo de Virt. fid. disp. 19. sec. 1. n. 18. & de Pænit. disp. 8. sec. 7. n. 174.

S. Thomæ doctrinæ veritas,

95 VErùm S. Thomæ dum in locis suprà n. 94. allegatis, sed etiam in 2. sent. dist. illa 28. quæst. 1. art. 4 & alijs locis supra citatis n. 93. voluit omninò hominem cum solo libero arbitrio, & sinè gratuito auxilio Dei illum interius mouentis, non posse se ad gratiam præparare, nec facere, quod in se est vt gratiam consequatur: dum enim dicit illo art. 4. super d. 28. 2. sent. *ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio se homo potest præparare, & facere quod in se est*, & ferè æquiualentia in alijs locis adductis, nunquam exclusit auxilium Dei gratuitum, sed solum habitum infusum. Vndè 1. 2. quæst. 112. art. 2. c. dum exponit illud Prou. 16. *Hominis est præparare animum*, sic ait, *& quantum ad hoc dicitur homo se præparare secundum illud Prou. 16. & est principaliter à Deo mouente liberum arbitrium, & secundum hoc dicitur à Deo voluntas hominis præparari, & à Domino gressus hominis dirigi.*

Quod

96 Quod docuit expresſè etiã in dicto art.4.q.1. diſt.28. 2. ſent.in reſp. ad primum vbi ſic ait S.Doctor, *Directio greſſus ſpecialis non poteſt eſſe niſi à Deo, ſinè cuius prouidentia nullum bonum contingit; nec tamen oportet quod hoc per aliquem habitum infuſum fiat, ſi directio greſſuũ ad præparationem ad gratiam gratum facientem præcedentem referatur*. Ex his patet S.Thomam docuiſſe directionem greſſuum, hoc eſt præparationem ad gratiam, non poſſe eſſe niſi à Deo; ſed non oportere quod Deus hoc faciat per præcedentem gratiam gratum facientem, quæ eſt habitus infuſus: quod clariùs dixit ibidem ad 2. *Homo non poteſt*, inquit, *ſe ad gratiam præparare, nec aliquod bonum facere ſine Dei auxilio; & ideò rogandus eſt vt nos ad ſe conuertat, & etiam alios: nec tamen oportet quod illud auxilium ſemper ſit per aliquem habitum infuſum, ſed poteſt eſſe per multa, quæ exteriùs ſunt ſalutis occaſio, & per ipſum actum interiorem, quem Deus in nobis cauſat*. Idem docuit S.Tho. in omnibus ſuæ doctrinæ libris de hac re agendo, ex illis ſequentes eius ſententias ſelegimus.

1.2. q.109. art.9. ait S.Tho. *Homo ad rectè viuendum dupliciter auxilio Dei indiget; vno quidem modo quantum ad aliquod habituale donum, &c. Alio modo indiget homo auxilio gratiæ, vt à Deo moueatur ad agendum*, & q.110. art.2. ſic loquitur. *dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adiuuatur. Vno modo, in quantum anima hominis mouetur à Deo ad cognoſcendum, vel volendum, vel agendum, & hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed motus quidam animæ; actus enim mouentis in moto eſt motus, vt dicitur in 3. Phyſic. Alio modo, adiuuatur homo ex gratuita Dei voluntate, ſecundum quod aliquod ei habituale donum à Deo animæ infunditur*, & q. 112. art. 2. inquit S.Tho. *gratia dicitur dupliciter; quandòque quidem ipſum habituale donum Dei, quandòque autem auxilium Dei mouentis animam ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, præexigitur*

gitur :dgratiam aliqua gratiæ præparatio, quia nulla forma potest esse, nisi in materia disposita; sed si loquamur de gratia secundum quod significat auxilium Dei mouentis ad bonum, sic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quasi præueniens diuinum auxilium, sed potius quæcumque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei mouentis animam ad bonum, & secundum hoc ipse bonus motus liberi arbitrij, quo quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum, est actus liberi arbitrij moti à Deo, & de Ver. q. 2 2. art. 8. inquit S.Th. *Immutat autem (Deus) voluntatem dupliciter. Vno modo mouendo tantum; quando, scilicet, voluntatem mouet ad aliquid volendum sine hoc, quod aliquam formam imprimat voluntati, sicut sine appositione alicuius habitus quandoque facit vt homo velit hoc, quod prius non volebat. Alio modo, imprimendo aliquam formam in ipsam voluntatem; sicut enim ex ipsa natura, quam Deus voluntati dedit, inclinatur voluntas ad aliquid volendum, vt ex dictis patet (art. 5. & 6.) ità ex aliquo superaddito, sicut est gratia, vel virtus, inclinatur vlterius ad volendum aliquid aliud, ad quod prius non erat determinata naturali inclinatione.* Vbi S. Doctor, dum agit de modo, quo Deus voluntatem immutat, cum in ea vt causa prima operatur, sine eo quod voluntatem nec cogat, nec necessitet; *voluntas enim mouetur à Deo eo modo, quo congruit naturæ ipsius, & ideò mouetur liberè, quod congruit suæ naturæ*, inquit S.Th. 1. 2. q. 10. art. 4. ad 1. Primum modum constituit in simplici motione voluntatis ad volendum, quod prius non volebat. Alium verò modum in habitus gratiæ infusione, qua inclinatur voluntas ad volendum aliquid, ad quod prius non erat determinata. Docet ergo euidenter motionem diuinam, quæ coincidit cum auxilio gratuito, exigendam esse in voluntate vt operetur etiam quando adhuc gratiæ habitus non est infusus. Hanc S.Thomæ sententiam adducit Bellarm. lib. 4. de gratia, & libero arbitrio cap. 11. §. *secundò efficaciter*, vsus alijs verbis ab his. quibus vti-

tur

tur S.Doctor, sed in recognitione librorum suorum; dum libros præfatos recognoscit, ab explicatione ibi data recedit, & rectè, sed ego puto illa noua explicatione, qua priorem corrigere existimauit, iterum à mente S.Thomæ recessisse.

97 Dices S.Thomam in cor. illius art.4. q.1. d.28. 2. sent.asserere, *non oportet vt actus, quibus homo se ad gratiam habendam præparat, sint naturam humanam excedentes; sicut enim natura humana se habet in potentia materiali ad gratiam, ità actus virtutum naturalium se habent vt dispositiones materiales ad ipsam. Vndè non exigitur ad hoc, vt homo ad gratiam se præparet, aliquod aliud lumen gratiæ præcedens.*

98 Resp. S.Doctorem loqui de habitibus infusis, & naturalibus; & ideò dixisse non oportere actus, quibus homo se præparat ad habendam gratiam, procedere ab aliquo habitu infuso, vt excederent naturam humanam, hoc est naturam habitus naturalis, sed non negat actus illos proficisci à libero arbitrio vna cum diuina motione, & excedere naturam humanam; dicit enim ad primum tales actus sine Deo esse non posse, qua motione supposita, docet actus virtutum naturalium esse dispositiones materiales ad gratiam, & eos non indigere præter hoc auxilium, alio habitu gratiæ infuso, quem habitum voce luminis gratiæ præcedentis intellexit, ex quo dispositiones procedãt, quibus homo per illos actus se ad gratiam præparet. Vide S.Tho.q. 24. de Verit. ar.15.

Quod patet euidentèr etiam ex sequentibus verbis
99 S.Thomæ in illo art.4. quibus, inquit, *lumen gratiæ gratis datæ non dari nisi ei, qui ad illud recipiendum se præparauit: si autem indigeret illa gratia præparatione, quam non posset homo habere ex se, daretur processus in infinitum*; loquitur ergo S.Doctor de gratia, quam præcedit præparatio: hæc autem est habitus gratiæ infusus: nam ad Dei motionem nulla præcedit præparatio, vt dixit S.Th. 1.2. q.112. art.2. in cor. cum Deus sit primum mouens, & ità in Dei motione non est procedere in infinitũ, vt dixit p.p.q.62. art.2. ad 3. & p.2.

quæſt. 109. art.6. ad 3. ergo S.Tho. in illo art.4. voluit excludere lumen gratiæ gratis datæ, quod ibi ſignificat habitum gratiæ infuſum, vt patet, & iterum dixit 3.d. 2. q.2. art.2. q.1. ſed nequaquam voluit excludere gratuitum Dei auxilium, vt probatum eſt.

100 Confirmatur quod dicimus ex eodem S.Doctore 2. d. 5. q.2. art.1. c.vbi ſic ait, *ad eliciendum actum contritionis, ſufficit liberum arbitrium, quod ſe ad habendam gratiam per hunc actum præparat, & diſponit, ſed efficacia conuerſionis ad meritum, non poteſt eſſe niſi per gratiam*, cum dicit ad eliciendum actum contritionis ſufficit liberum arbitrium, loquitur de contritione quantum ad ſubſtantiam actus, quæ præcedit gratiæ habitum, ad quam ſufficit liberum arbitrium ſine habitu gratiæ, ſed non excludit S.Tho. Dei auxilium gratuitum, ſine quo liberum arbitrium non ſufficit ad eliciendum actum contritionis, vt dixit ipſe S.Doctor 4. d.17.q.2. art.1.q.1. ad 6. per hæc verba, *Contritio eſt à Deo ſolo quantum ad formam, qua informatur, ſed quantum ad ſubſtantiam actus, eſt ex libero arbitrio, & à Deo, qui operatur in omnibus operibus & naturæ, & voluntatis.*

101 Tandem S.Doctor, dum dicit locis ſupra adductis, nutritum in Siluis, ſi ſequatur dictamen naturale rationis, certiſſimè à Deo illuſtrandum internis reuelationibus, intendit, ad ſequendum tale dictamen illi non ſufficere vires naturales, ſed inſuper præueniri debere gratuito Dei auxilio, quo in eius ſententia quiſque indiget ad faciendum, quod in ſe eſt, vt gratiam conſequatur, & ideò in loco adducto ex q.14. de Verit. vſus eſt exemplo Cornelij poſtquam enim dixerat, *hoc enim ad diuinam prouidentiam pertinet, vt cuilibet prouideat de neceſſarijs ad ſalutem, dummodò ex parte eius non impediatur; ſi enim aliquis taliter nutritus, (ſcilicet in ſiluis,) vel inter bruta animalia, ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſimè eſt tenendum quod ei Deus, vel per internam inſpirationem reuelaret ea, quæ ſunt ad credendum*

neceſ-

necessaria, vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, statim subiungit, *sicut misit Petrum ad Cor-*
102 *nelium, Act.* 10. Cornelius verò non fecit, quod in se erat, nec sequutus est ductum naturalis rationis in appetitu boni, & fuga mali, nisi præuentus à Deo fidei illustratione, vt dixit S. Tho. 2. 2. q. 10. art. 4. c. & iterum ex auxilio gratiæ Cornelium fecisse, quod in ipso erat, vt se in Deum conuerteret, dixit Lec. 3. in Cap. 10. ad Rom.

103 Constat ergo S. Thomam docuisse hominem posse per liberum arbitrium se præparare ad fidem, & gratiam, & facere quod in se est vt gratiam, vel fidem consequatur, quando infuso habitu gratiæ caret, sed indigere Dei auxilio gratuito vt se ad gratiam, & fidem præparet, & faciat quod in se est, vt gratiam, seu fidem consequatur, quæ doctrina apud omnes Catholicos esse debet indubitata, cum fuerit ab Ecclesia definita, vt dictum est.

104 Vtrum verò illud auxilum gratuitum, quod Deus dat homini ad faciendum, quod in se est, sit entitas ordinis naturalis, vel supernaturalis, discrepant Theologi: Vasquez p. p. disp. 89. cap. 5. & disp. 91. cap. 10. & 11. & 12. disp. 199. cap. 2. vult esse entitatem ordinis supernaturalis, & pertinere ad errorem Massilientium dicere quod sit entitas ordinis naturalis; hoc tamen dixisse plures graues Doctores, refert Card. Lugo de Virt. fidei disp. 19. sec. 1. n. 18. quos ipse sequitur cum hac additione, quod illud auxilium entitatis etiam ordinis naturalis Deus pro sua benignitate dat omnibus hominibus ad faciendum, quod in se est ex meritis Christi Redemptoris; & hanc opinionem non coincidere cum errore Massilientium se ostendisse putat ibidem: hanc etiam fuisse S. Thomæ mentem, præcipuè 1. 2. quæst. 89. art. 6. & quæst. 14. de Verit. art. 11. ad p. tenet ibidem n. 21. nam, inquit, S. Tho. in responsione ad hoc argumentum *dixit certissimè tenendum est, quod si homo in Siluis nutritus ductum naturalis rationis sequatur, Deus, &c. reuelabit ei misteria fidei*, Vbi ly *certissimè* (ait Lugo) ostendit legem

latam de hoc: sed nos Lugoni non assentimur; nam in exemplo adducto à S. Doctore de Cornelio, patet ipsum loqui de auxilio gratuito ordinis supernaturalis, dum dicit *certissimè tenendum esse nutrito in siluis, si sequatur ductum naturalis rationis (vtique prauento à Deo fidei illustratione) Deum per internam inspirationem reuelaturum, quæ sunt ad credendum necessaria*, nam locis supra adductis clarè docet Cornelium fecisse quidem, quod in se erat, quod idem est ac sequutum fuisse ductum naturalis rationis, aliàs nulla esset S. Thomæ comparatio Cornelij cum nutrito in siluis; sed tamen præuentum à Deo fidei illustratione; fidei vero illustratio sine dubio est entitas ordinis supernaturalis.



De-

IX.

1 *Determinatio ad vnum numero non tollit rationem meriti, & laudis, si actus non coactè, sed spontè, quamuis necessariò fiat.*

2 *Sancti Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S.Thomæ attributa.

Determinatio ad vnum numero non tollit rationem meriti, & laudis, si actus non coactè, sed spontè, quamuis necessariò fiat.

105 

ANC Conclusionem S. Thomæ imponunt Ianseniſtæ adductis per extenſum pluribus eius ſententijs, vt perperam S. Doctorem patronum ſibi concilient in aſſerenda illa Ianſenij tertia Propoſitione ab Innoc. X. inter cæteras hæretica declarata, & damnata 1653. pridie Kalendas Iunij, per ſuam Conſtitutionem, quæ incipit. *Cum occaſione*, & eſt huiuſmodi. *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit à coactione.*

S.Tho-

S.Thomæ doctrinæ veritas.

106 HAnc Propositionem, & consequentèr Conclusionem præfatam S. Doctor hæreticam dixit, dum de ea ex professo ageret de malo quæst. 6. art. vn. per hæc verba, *quidam posuerunt quod voluntas hominis ex necessitate mouetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur; non enim omne necessarium est violentum, sed solum id cuius principium est extra; vndè & motus naturales inueniuntur aliqui necessarij, non tamen violenti: Violentum enim repugnat naturali, sicut & voluntario, quia vtriusque principium est intra, violenti autem principium est extra. Hæc autem opinio est hæretica; tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit.* Certi igitur sumus de S. Thomæ mente, qua Apostolicam condemnationem illius Propositionis Iansenianæ multo ante præuenit, vt patet omnibus, qui ne dum in præfata quęstione de malo, verùm etiam vbique eius doctrinam de libertate voluntatis ad meritum, vel demeritum requisitam legerunt, & intellexerunt.

107 Nec ea, quæ à Iansenistis adducuntur, quicquam probant in contrarium, quod vt clariùs appareat, singula adducemus, in quibus maior vis fieri posset; vt captiosis eorum interpretationibus diuulsis, qualis sit S. Doctoris verborum sensus legitimus, ab eoque intentus palàm eluceat. Dicunt ergo Iansenistæ.

108 Primò S. Thomas 3. d. 18. quæst. 1. art. 2. ad quintum sic ait. *Vel dicendum quod si etiam esset (Liberum arbitrium Christi) determinatum ad vnum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, siuè meriti, quia in illum non coactè, sed sponte tendit, & ità est actus sui Dominus:* Concedit

dit ergo S. Thomas Christum non amisisse libertatem, nec rationem laudis, siuè meriti; quamuis necessariò Deum diligeret; id enim non facere non poterat, cum ad hoc vnum numero esset eius liberum arbitrium determinatum, quia non coactè, sed spontè in Deum tendebat. Ergo in sententia S. Doctoris sufficit libertas à coactione, & non requiritur libertas à necessitate ad merendum, & demerendum.

Respondetur Christum Dominum, vt Viatorem in sententia S. Thomæ meruisse in eliciendo actum diligendi Deum, ad quem vnum actum numero erat determinatus, seruata in libero arbitrio indifferentia ad contradictoria, & consequenter exclusa omni necessitate, quæ hanc tolleret indifferentiam: Actus enim iste versabatur circa Deum vt cognitum per scientiam infusam, & non vt cognitum per scientiam beatam; quarè cùm nulla necessitate, quæ tolleret indifferentiam ad contradictoria Christus vt viator amaret Deum, in eum amando, non amittebat libertatem, nec rationem laudis, & meriti, sicut amisisset si illam necessitatem Iansenianam in hoc actu habuisset, quod ipse S. Doctor dilucidè ostendit dum dixit vbi supra *Christum fuisse illius actus dominum*; nam in eius sententia voluntas tunc est domina sui actus, cum in eius potestate est agere & non agere, seu agere opposita. Ità 2. c. g. Cap. 47. p.p. quæst. 82. art. 1. & in resp. ad tertium quæst. 83. art. 3. & 4. 2. d. 13. quæst. 1. art. 1. d. 24. quæst. 1. art. 1. ad primum d. 25. art. 1. in cor. & ad secundum & tertium de Verit quæst. 22. art. 6. quæst. 24. art. 1. 2. 4. &c. de malo quæst. 6. cit. & quæst. 16. ar. 5. in cor. &c. Ad hoc clarius ostendendum adducimus quod S. Tho. dixit quæst. 29. de Verit. art. 6. ad primum vbi sic ait. *Licet anima Christi esset determinata ad vnum, secundum genus moris, scilicet, ad bonum; non tamē erat determinata ad vnum simpliciter; poterat; enim hoc vel illud facere, & non facere; & ideò libertas in eo remanebat, quæ requiritur ad merendum,* en à S. Thoma exclusa à Christo viatori omnis necessitas ten-

tendendi in bonum, ad quod erat determinatus, ſed non ſimpliciter.

109 Dices S. Thomam vbi ſupra docuiſſe Chriſtum, quia ſpontè, & non coactè Deum diligebat, in hoc actu, quem non facere non poterat, non amiſiſſe libertatem, nec rationem meriti; ſpontè verò diligere, eſt etiam neceſſariò diligere, nulla ſeruata indifferentia, vt patet in pluribus actibus voluntarijs, quos naturaliter elicit voluntas ab intrinſeco, nullam patiendo coactionem, ſeu violentiam ab extrinſeco.

Reſp. apud S. Thomam loquentem cum S. Aug. Lib. 2. de libero arb. cap. vlt. ſpontè voluntatem agere etiam cum indifferentiam ſeruat, ſine qua omnis neceſſitas in eius ſententia libertatem euertit, vt dixit de Verit. q. 22. art. 6. c. Quare ſupradicta redargutio corruit; nam S. Doctor dixit 1. 2. quæſt. 6. art. 6. c. actum ex metu elicitum, v. g. proiectionem mercium in mari ad euitandam nauis ſubuerſionem, non tollere voluntarium ſimplicitèr, & conſequentèr non procedere ex illa neceſſitate, quæ indifferentiam amouet; hæc enim in S. Thomæ ſententia tolleret ab illo actu voluntarium ſimplicitèr, quod conſiſtit in ità proijcere merces in mari, vt poſſet non proijcere; hunc vero actum ſpontè elici à voluntate proijcientis merces ex illo periculo dixit S. Doctor 2. Cor. 9. lec. 1. per hæc verba *Violentum miſtum eſt quando quis non abſolutè cogitur ad faciendum aliquod contra voluntatem ſuam, ſed ſecundum quid, ſcilicet, quod niſi faciat incurrit maius damnum; ſicut ſi non proijciuntur merces in mari, nauis ſubmergitur ideò aliquo modo fit ſpontè* (quia, ſcilicet dum inſtat periculum ſubuerſionis nauis aliquis poſſet proijcere, & non proijcere merces, *& aliquo modo violentèr* ſubiungit S. Doctor *in quantum, ſcilicet coguntur ad eas proijciendas timore maioris damni*. Igitur in ſententia S Thomæ Chriſtus Dominus Deum diligebat ſpontè, non coactè, nec ideò amittebat libertatem, & rationem Laudis, & meriti, quia indifferentiam ad contradictoria euertentem neceſſitatem Ianſenianam ſeruabat

bat, cum Deum sponte diligebat, quod verò fit sponte sine vsu liberæ electionis, negat S. Tho. de Verit. quæst. 24. art. 2. ad primum liberè fieri.

110 II. 3. p. q. 19. art. 3. ad primum S. Thomas sic ait, *nec enim (Christus) per charitatem meruit, in quantum erat charitas comprahensoris, sed in quantum erat viatoris; nam ipse fuit simul Viator, & Comprahensor.* Ergo in sententia S. Thomæ Christus desijt mereri, non quia necessario modo amet Deum, sed quia modo Viator non est, sed modo necessariò amat Deum exclusa quacunque indifferentia; Ergo cum esset Viator merebatur etiam necessitate eadem Deum amando. quod vero fit ex spontanea voluntate, sine violētia, nec per naturam, libere fieri docuit 2. c. g. c. 83.

Respondetur Actus Christi Domini fuisse liberos prout erant Viatoris; nam quamuis immobiliter adhæreret per charitatem summo bono, tamen illi adhærebat vt cognito scientia infusa, prout dictum est: Vnde hac charitate eliciebat Christus actus meritorios circa Deum seruata indifferentia ad contradictoria, & hic est sensus à S. Thoma intentus apud omnes Thomistas, quos refert, & sequitur Suarez Tomo primo in 3. p. S. Thomæ disp. 39. sec. 2. Idem S. Tho. 3. p. quæst. 34. art. 3. c. videtur in eodem sensu loquutum fuisse, dum agendo de merito Christi in primo instanti suæ conceptionis, dixit Christum tunc sanctificatum fuisse per motum liberi arbitrij in Deum, qui motus liberi arbitrij, inquit, meritorius est. Motus autem liberi arbitrij in sententia S. Thomæ tunc est, quando amota omni physica necessitate, in agentis arbitrio remanet potestas saltem ad contradictoria, vt in illo art. vn. q. 6. de Malo clariùs patet.

111 III. 3. d. 12. quæst. 2. art. 1. ad Tertium ait S. Thomas *impotentia coactionis, quæ opponitur voluntario, tollit rationem meriti, & demeriti, non impotentia, quæ est ex perfectione in bonitate, vel malitia, quia hoc voluntarium non tollit, sed ponit voluntatem confirmatam ad vnum*, sed impotentia ex perfectione infert necessitatem absque coactione, ergo hæc necessitas absque coactione in sententia S. Thomæ non tollit volunta-

tarium, & consequentèr nec rationem meriti, vel demeriti.

Resp. S. Doctorem docere impotentiam coactionis tollere rationem meriti, quia hæc opponitur voluntario, cum inducat violentiam, & tollat omnem indifferentiam in agendo, sed impotentiam ex perfectione non tollere voluntarium, quamuis ponat voluntatem confirmatam ad vnum, quia cum hac impotentia non inducitur violentia, nec euertitur indifferentia saltem ad contradictoria, ideòque necessitatem à voluntario excludit, quæ opponitur voluntario libero si non relinquat potestatem ad non agendum: nam hæc necessitas tollit rationem meriti, vt S Doctor dixit de malo quæst. 6. art. vn. seipsum etiam S. Doctor magis explicauit in loco allegato ex 3. sent. dist. præfata, cum ad secundum ait posse peccare pertinere ad laudem, quia ostendit opus, quod laudatur, ex necessitate factum non esse; vbi clarè patet necessitatis nomine intelligere eam, quæ coactionem excludit; nam nulla coactiua necessitate peccat, qui potest peccare. Ergo sentit S. Tho. opus non laudari, si ex necessitate etiam incoacta fiat. Cum verò S. Tho. ibidem in eadem resp. ad secundum dicit, *quamuis remoueatur à Christo potentia peccandi, non tamen ponitur coactio, quæ voluntario contrariatur, & laudis rationem tollit*, non ità intelligendus est, quod velit solam necessitatem cogentem tollere rationem laudis, & voluntario contrariari; non vero necessitatem à coactione seiunctam, sed ibi, & alibi pro coactione intelligit quicquid voluntario contrariatur: hoc enim in eius sententia tollit rationem laudis, vt patet præcipuè ex 3. c. g. cap. 138. & insuper ex eius verbis quæ loco prædicto leguntur, in quibus coactionem limitat ad id, quod voluntario contrariatur, & tollit rationem laudis; hæc autem coactio de mente S. Thomæ est illa necessitas, quæ tollit potestatem ad non agendum, vt in quæst. de malo loco allegato dixit expræssè, & consequentèr apud S. Tho. impotentia, quæ non tollit voluntarium, est illa, quæ seruat indifferentiam saltem ad

ad contradictoria, exclusa Ianseniana necessitate.

112 IV. S.Thomas 3.c.g. Cap.138, ait, *est enim duplex necessitas, quædam coactionis, & hæc laudem humanorum actuum diminuit, quia voluntario contrariatur; coactum enim est, quod est voluntati contrarium. Est autem quædam necessitas ex interiori inclinatione procedens, & hæc laudem virtuosi actus non minuit, sed auget; facit enim voluntatem magis intentè tendere in actum virtutis: patet enim quod habitus virtuosus quanto fuerit perfectior, tanto vehementiùs voluntatem facit tendere in bonum virtutis, & minus ab eo deficere, & si ad finem perfectionis deuenerit, quandam necessitatem infert ad benè agendum, sicut est in Beatis, qui peccare non possunt, vt infrà patebit; nec tamen propter hoc aut libertati voluntatis aliquid deperit, aut actus bonitati*, sed in Beatis est necessitas incoacta omnem indifferentiam excludens. Ergo hæc necessitas incoacta in sententia S.Thomæ non minuit nec in voluntate libertatem, nec in actu bonitatem.

Resp.S. Thomam docere non quamcumque necessitatem ex interiori inclinatione procedentem saluare libertatem in voluntate ad laudabiliter agendum, aliàs etiam animalium irrationabilium actus essent liberi, & laudabiles, cum eorum etiam actus ex interiori inclinatione procedant, & motus naturales voluntatis essent meritorij, quod negat in q.6. allegata de malo, sed eam necessitatem dixit libertatem non minuere, quæ ex interiori voluntatis inclinatione procedit seruata indifferẽtia saltim ad contradictoria, ita vt voluntas velit, quod vitare possit, & hæc est illa necessitas, quæ facit voluntatem vehementiùs tendere in bonum virtutis cum habitu virtutis perfectiori, si vero hæc perfectio adeò augeretur, vt ad finem perfectionis deueniret; ita vt extincta quacumque indifferentia, voluntas tenderet in actũ virtutis incoacta necessitate, sicut accidit in Beatis, tunc nulla remanet in voluntate libertas non tẽdendi in illum actum: Vndè in sententia S.Thomæ, vt necessitas, qua voluntas tendit in actum virtutis cum

habitu perfecto, non minuat in ea libertatem, debet esse in voluntate extra illum statum, in quo ad finem perfectionis deuenit; nam in illo quidem statu illa necessitas tollit à voluntate libertatem, non verò extra illum statum; nam extra illum statum semper cum illa necessitate restat indifferentia saltim ad contradictoria, sine qua in voluntate necessitas libertatem extinguit.

113 V. S. Tho. 1.2.q.4.art 4.c.inquit, *voluntas videntis Dei essentiam ex necessitate amat quicquid amat sub ordine ad Deum, sicut voluntas non videntis Dei essentiam ex necessitate amat quicquid amat sub communi ratione boni, quam nouit; & hoc ipsum est quod facit voluntatem rectam*. Ergo per S. Tho. sicut necessitas, qua voluntas videntis Deum amat, &c. est necessitas incoacta, omni exclusa indifferentia, etiam necessitas, qua voluntas non videntis Deum amat, &c. erit eadem necessitas incoacta, sed voluntas non videntis Deum tunc liberè, & meritoriè amat, &c. Ergo libertas, & meritum saluantur in voluntate cum sola necessitate incoacta, omni exclusa indifferentia.

Resp. Voluntatem in quocumque statu nihil velle posse, quin ibi rationem boni velit; Ità S.Tho. q. 22. de verit. art.5. & art.7. dixit in hoc actu voluntatem non mereri, nec demereri; mereretur autem voluntas non videntis Deum amando bonum sub speciali ratione boni,etiamsi hoc esset summum bonum, & beatitudo, vt docet S.Th. ibidem art.6. quia liberè hoc speciale bonum amat: voluntas verò dicitur liberà ex eodem S.Doctore in dicto articulo, inquantum necessitatem non habet; Vndè patet in eius sententia voluntatem tunc tantum mereri, cum omnem excludit necessitatem, quæ in ea indifferentiam euertit. Conueniunt ergo per S.Tho. voluntas non videntis Deum, & videntis Deum, in hoc, quod ambo necessariò amant in re amata communem rationem boni, sed in hoc discrepant, quod voluntas videntis Deum hoc speciale bonũ, quod est beatitudo,amat necessariò sinè merito; voluntas verò non videntis Deum amat hoc idem speciale bo-

bonum liberè, & meritoriè omni exclusa necessitate etiam incoacta, quæ ad non agendum potestatem non relinquit. Ad id clariùs ostendendum adducimus quod S.Tho. docet art. 3. illius quæst. 22. de verit. per hæc verba, *sed hæc quidem inclinatio superaddita quãdòque est perfecta, quandòque imperfecta. Quando quidem est perfecta, facit necessariam inclinationem in id, ad quod determinat; sicut per naturam de necessitate inclinatur voluntas in appetendum finem, sicut contingit in Beatis, in quibus charitas perfecta inclinat sufficienter in bonum, non solum quantum ad finem vltimum, sed quantum ad ea, quæ sunt ad finem. Aliquandò verò forma superaddita non est vsquequaque perfecta, sicut est in Viatoribus, & tunc ex forma superaddita voluntas inclinatur quidem, sed non ex necessitate.* Hic rectè S.Doctor explicat quomodò necessitetur Beatus, & non viator in appetendo finem, qui est visio Dei, & quomodo ambo liberi sint à coactione, sed Beati non à necessitate, sicut viatores; ideòque meritum negatur in illis, quod in istis asseritur: legendus est S.Thomæ art. ille 7. q. 22. de Verit.

114 VI. S.Thomas 2.2. q.58. art.3. ad secundum ait, *Duplex est necessitas, vna coactionis, & hæc quia repugnat voluntati, tollit rationem meriti. Alia autem est necessitas ex obligatione præcepti, siuè ex necessitate finis; quando, scilicet, aliquis non potest consequi finem virtutis, nisi hoc faciat; & talis necessitas non excludit rationem meriti, inquantum aliquis hoc, quod sic est necessarium, voluntariè agit; excludit tamen gloriam supererogationis, secundum illud 1. Cor.9. Si euangelizauero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit.*

115 VII. Et q.81. art.6. ad tertium etiam ait, *vbi est necessitas, tollitur gloria supererogationis, non autem excluditur meritum virtutis; si adsit voluntas.*

116 VIII. Præterea q.88. art.6. ad primum & secundum, sed clariùs q.186. art.5. ad quintum vbi; *Necessitas coactionis* (inquit) *facit inuoluntarium; & ideò*

ideò excludit rationem laudis, & meriti, sed necessitas consequens obedientiam non est necessitas coactionis, sed liberæ voluntatis, in quantum homo vult obedire, licèt fortè non vellet id, quod mandatur, secundum se consideratum, implere; & ideò quia necessitati aliqua faciendi: quæ secundum se non placent, per Votum obedientiæ homo se subijcit propter Deum, ex hoc ipso ea, quæ facit, sunt Deo magis accepta, etiamsi sint minora, quia nihil magis potest homo Deo dare, quam quod propriam voluntatem propter ipsum voluntati alterius subijciat. Ex his tribus S.Thomæ sententijs concluditur voluntatem, si agat cum necessitate, quæ non sit coactionis, esse liberam, & mereri.

Respondetur euidens esse S.Doctorem in allegatis sententijs non loqui de necessitate physica, seu absoluta, sed morali, vt ipsemet explicat infrà q.189. art 2. ad secundum, quam imponit Votum obedientiæ, & dicitur necessitas finis, hanc autem certum est non tollere libertatem etiam ad contraria, nec rationem meriti; vndè sententiæ prædictæ non adducuntur ad propositum.

117 IX. Quæst. 182. art. 2. ad secundum in eadem 2.2. S. Thomas inquit. *In statu felicitatis futuræ homo peruenit ad perfectionem; & ideò non relinquitur locus proficiendi per meritum; si tamen relinqueretur; esset efficaciùs meritum propter maiorem charitatem*, ergo si relinqueretur locus merendi in Beatis cum eadem necessitate, qua modò diligunt Deum, tunc diligendo mererentur efficaciùs propter maiorem charitatem; ergo cum simili necessitate incoacta subsistit ratio meriti in sententia S.Thomæ.

Resp. sicut ad tertium supradictum est, in statu beatitudinis perfectionem in diligendo Deum excludere à Beatorum voluntate omnem indifferentiam; ideòque voluntatem non mereri in illo actu perfectissimo: si verò Beati essent extra illum statum, diligerentque Deum illa perfectissima charitate, efficaciùs mererentur; non quia eadem necessitate diligerent, quia vt sic non mererentur, sed quia diligerent cum libertate, & pote-

testate omnimoda non diligendi requisita in voluntate ad merendum, vt S.Tho. docuit pluribus in locis supra allegatis, præcipuè in illa q.6. de malo.

118 X. 3.p.q.34. art.3. ad primum ait S.Thomas. *Liberum arbitrium non eodem modo se habet ad bonum, & ad malum; nam ad bonum se habet per se, & naturaliter; ad malum autem se habet per modum defectus, & præter naturam, &c. & ideò liberum arbitrium creaturæ in primo instanti creationis potest moueri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando; si tamen natura sit integra*, ergo in natura integra necessitaretur, sed non cogeretur voluntas ad bonum, & tamen mereretur.

Respondetur S.Thomam in corp. art. vt diximus etiam ad secundum declarasse actum meritorium, si eliciatur in primo instanti, procedere à voluntate per motum liberi arbitrij, qui motus in eius sententia est semper cum indifferentia saltim ad contradictoria; nec obstat merito quod actus procedat à voluntate in bono firmata; nam ex sententia S.Thomæ 2.2. q.88. art.6. c. sicut magis peccat voluntas obstinata in malum, ità magis meretur si sit in bono firmata; veruntamen sicut voluntas obstinata in malum non demeretur si non possit malum vitare, vt patet in Damnatis, ità nec voluntas mereretur si non posset à bono desistere, vt patet in Beatis. Exigitur ergo à S.Tho. in voluntate indifferentia saltim ad contradictoria vt mereri, vel demereri dicatur.

119 XI. p.p.q. 105. art. 4. ad tertium inquit S.Tho. *si voluntas ità mouetur ab alio, quod se nullatenus moueretur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum, vel demeritum; sed quia per hoc quod mouetur ab alio, non excluditur quin moueatur ex se; ideò per consequens non tollitur ratio meriti vel demeriti*, ergo in sententia S.Thomæ, si voluntas moueatur ab alio etiam necessitata ad operandum, dummodò seipsam moueat, mereri, vel demereri poterit.

Respondetur S.Thomam apertè loqui de voluntate seip-

seipsam mouente ad vnum actum, ita vt potuisset se mouere ad oppositum, vel cessare ab illo actu si voluisset: Motus verò, quo à primo agente Voluntas mouetur, non tollit ab ea hanc indifferentiam, vt ipse S.Doctor docuit pluriès, & in eadem p.p. q.83. art.1. ad tertium dixit actiones Voluntatis motæ à prima causa ad agendum non auferre à voluntate quod illius actiones non sint voluntariæ, &c. & p.2. q.10. art.4. ad primum dixit, *repugnaret diuinæ motioni, si voluntas ex necessitate moueretur*, & quodl. 1. art.7. ad secundum dixit, *Deus mouet omnia secundum modum eorum, & ideò diuina motio à quibusdam participatur cum necessitate, à natura autem rationali cum libertate, propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita; & ideò sic Deus mouet mentem humanam ad bonum, vt tamen possit huic Dei motioni resistere, & ita ex Deo est, vt mens humana se ad gratiam præparet; sed quod gratia careat, non habet causam à Deo, sed à seipsa, secundum illud Oseæ 13. Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum*. Certum est ergo in S.Thomæ sententia diuinam motionem non extinguere libertatem, quæ physicam necessitatem etiam incoactam non patitur.

120 XII. p.p.q.82.art.1. ad primum S.Tho. ait, *Dicendum quod verbum Augustini in 5. de Ciu. Dei, vbi dicit, si aliquid est necessarium, non est voluntarium, est intelligendum de necessario necessitate coactionis: Necessitas autem naturalis non aufert libertatem voluntatis, vt ipsemet in eodem libro dicit*, ergo in sententia S.Thomæ, & S.Augustini necessitas naturalis non tollit libertatem, & consequentèr libertas à necessitate secundum ipsos non tollit meritum, vel demeritum.

Respondet Caiet.ibidem; *In respon. ad primum nota quod cum dicitur quod necessitas naturalis non aufert libertatem, potest benè, & malè intelligi. Malè quidem, si intelligatur quod necessitas naturalis tam obiectiuè, quam elicitiuè stat cum libertate illius actus; hoc enim non est intelligibile: Benè verò intelligen-*
do

do quod naturalis necessitas actus quoad specificationem, seu obiectiuè non aufert libertatem eiusdem, quia stat quod liberè eliciatur. Distinctio, quam hic affert Caietanus, est expressa S.Thomæ in pluribus suæ doctrinæ locis. Videndus 1.2. q.10. art.2. & prætereà probatur S.Thomæ menti conformis: nam S.Tho. q.22. de Verit. art.5. dum respondet ad idem argumentum quod est primum argumentum f.c. sic ait. *Dicendum quod authoritas illa (scilicet Aug) est intelligenda de necessitate coactionis, quæ repugnat voluntati, non autem de necessitate naturalis inclinationis, quæ secundum Aug.5. de Ciu. Dei voluntati non repugnat*. In c.verò S.Doctor dixerat. Voluntatem posse accipi vt voluntatem, & vt naturam; vt voluntas, inquit, non determinatur ad vnum ex necessitate, quia vt sic est domina suorum actuum, vt dixerat quæst.2. de pot. art. 3. c. Vt natura verò potest velle aliquid necessariò necessitate naturalis inclinationis. Ex quibus sequitur, dum S.Tho. dicit p.p. q.82. art.1. ad primum, *necessitas naturalis non aufert libertatem voluntatis*, ipsum loqui de voluntate vt voluntas est, à qua non tollitur libertas si necessitate naturalis inclinationis velit aliquid necessariò; quia hoc nec repugnat voluntati, nec aufert ab illa dominium sui actus in eligendo, in quo eius libertas optimè saluatur. Vndè dixit S.Tho. actum illum, quem specificatiuè, vel obiectiuè voluntas necessariò vult necessitate naturali, non tollere libertatem ab eadem voluntate quoad electionem illius eiusdem actus, ac per hoc eius dominium non amittit, & q.6 de malo art. vn. & alibi dixit necessitatem finis, quæ est necessitas naturalis obiectiua, non tollere voluntarium, nec libertatem, si remaneat dominium ad actum circa illud obiectum eliciendum, vel non eliciendum. Vndè in corp. illius art.1. q.82. p.p. ait S.Tho. loquendo de necessitate naturali obiectiua. *Nec necessitas naturalis repugnat voluntati, quinimmò necesse est quod sicut intellectus ex necessitate inhæret primis principijs, ità voluntas ex necessitate inhereat vltimo fini, qui est bea-*

K titu-

titudo, & art. 2. ibidem in fine corp. ait, *sicut nunc ex necessitate volumus esse beati*, sed in resp. ad tertium eiusdem art. primi dum loquitur de actu, quem elicimus circa obiectum, quod necessitate naturali volumus, inquit, *sumus domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc vel illud eligere; electio autem non est de fine, sed de his, quæ sunt ad finem, vt dicitur in 3. & hic. Vnde appetitus vltimi finis non est de his, quorum domini sumus*. Vbi aduertere oportet Argumenti tertij vim in eo esse, vt ostendat voluntatis actum non posse de necessitate esse, quod probatur ibidem, quia secundum voluntatem sumus Domini nostrorum actuum, sed eius, quod ex necessitate volumus non sumus Domini. Ergo id, quod ex necessitate volumus non est secundum voluntatem. Respondet S. Tho. distinguendo maiorem, *secundum voluntatem sumus Domini nostrorum actuum*, secundum quod possumus hoc vel illud eligere, concedo, *secundum voluntatem sumus domini nostrorum actuum*, secundum quod possumus non appetere v. g. vltimum finem, nego; in electione verò consistere liberum arbitrium docet S. Tho. præcipuè p. p. q. 83. art. 3. & 4. Ad minorem postea respondet iterum eam distinguendo, *eius quod ex necessitate volumus, non sumus Domini*, si sit de vltimo fine, concedo, si sit de electione actuum, nego; ad consequentiam postea respondendo, distinguit consequens, *ergo id, quod ex necessitate volumus, non est secundum voluntatem*, secundum voluntatem eligentem, concedo, secundum voluntatem appetentem, nego. Inde sequitur docuisse S. Thomam in illo art. voluntatem aliquid ex necessitate appetere, cuius non sit domina, si illud naturaliter velit, vt dicit ad secundum nec hanc necessitatem repugnare voluntati, vt dicit in corpore nec repugnare libertati voluntatis, vt dicit ad primum si secundum illius electionem voluntas sit domina ad eligendum, & non eligendum, vt dicit ad tertium quod erit vsque dum voluntas Deo ex necessitate non inhæreat, vt dicit art. seq. in fine corp. Vidend. S. Tho. q. 2. de Pot. ar. 3. c.

S. Tho.

121 XIII. S. Tho. p. p. q. 83. art. 2. ad tertium inquit *homo peccando liberum arbitrium dicitur perdidisse, non quantum ad libertatem naturalem, quæ est à coactione, sed quantum ad libertatem, quæ est à culpa, & à miseria*. Ergo in sententia S. Thomæ libertas naturalis manet cum necessitate etiam, quam infert coactio, ergo multo magis stabit cum necessitate, quæ coactionem excludit.

Resp. S. Thomam loqui de coactione prout includit quamcumque necessitatem, siuè illa oriatur ex violentia, quæ est propriâ coactio, siuè ex quacumque alia necessitate, quæ determinat voluntatem ad vnum extincta iudicij indifferentia. Ità Siluius p.p. quæst. 83. art. 3. & 4. *§. quæritur 2. ad primum* qui verò amittit libertatem à culpa, & à miseria, retinet essentiam libertatis à coactione, & à necessitate, cum adhuc sit Dominus suorum actuum, vt patet.

122 XIV. S. Thomas de Pot. quæst. 10. art. 2. ad quintum ait. *Naturalis necessitas, secundum quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, vt felicitatem libertati voluntatis non repugnat*, vt Aug. docet lib. 5. de Ciuit. Dei, *libertas enim voluntatis violentiæ, & coactioni opponitur; non est autem violentia, & coactio in hoc, quod aliquid secundum ordinem naturæ moueatur, sed magis in hoc, quod naturalis motus impediatur, sicut cum impeditur graue ne descendat ad medium. Vndè voluntas liberè appetit felicitatem, licet necessariò appetat illam. Sic autem & Deus sua voluntate liberè amat seipsum, licet de necessitate amet seipsum. Et necessarium est quod tantum amet seipsum, quantum bonus est; sicut tantum intelligit seipsum, quantum est. Liberè ergo Spiritus Sanctus procedit à Patre, non tamen possibiliter, sed ex necessitate, nec possibile fuit illum procedere minorem Patre; sed necessarium fuit illum Patri esse æqualem, sicut & Filium, qui est Verbum Patris*

Respondetur S.Tho. sumere hic vocabulum libertatis in eo sensu, quo vsus est S.Aug. loco cit. nam S. Aug.

ibi ſumit vocabulum libertatis prout infert, quod aliquid non coactè, ſeu violentèr fiat; Vndè cum voluntas appetit felicitatem neceſſariò hanc neceſſitatem, inquit, non repugnare voluntatis libertati: libertas enim, ait voluntatis violentiæ, & coactioni opponitur, ex quo patet libertatem ibi à S. Aug. accipi pro omni eo, quod non eſt coactum, ſeu violentum, quamuis ſit neceſſarium, vt eſt appetitus felicitatis; ſed hæc libertatis acceptio eſt impropria; ideòque nec à S. Tho. vſurpata fuit p. p. quæſt. 41. art. 2. dum quæreret, *Vtrum actus notionales ſint voluntarij*, quia ex eius proprio ſenſu libertas ab omni neceſſitate etiam naturali euertitur, quod in ſupra adducta ipſius authoritate etiam apparet, dum præmittit Deum liberè amare ſeipſum, licèt neceſſariò amet ſeipſum, & poſtea ait, liberè Spiritum Sanctum procedere à Patre, non tamen poſſibiliter, ſed ex neceſſitate. Certum eſt autem in ſententia S. Thomæ, quod omne liberum eſt poſſibile quod ſit & non ſit; quod verò neceſſariò eſt, apud ipſum liberum non eſt. Vnde Spiritus Sancti proceſſionem dum non poſſibilem, ſed neceſſariam dicit, liberam non eſſe in ſenſu mentis ſuæ affirmat, quod idem affirmare intendit, dum vocabulo libertatis in gratiam S. Aug. vtitur, quod explicat, itàut ibi neceſſitas libertas quædam dicatur, quia excludit violentiam, & coactionem, non vero quia eſſentialis ratio libertatis cum naturali neceſſitate conſiſtat, quam omnis neceſſitas etiam naturalis tollit, & conſequentèr ad merendum, & demerendum non ſufficit, cum ad hoc indifferentia agendi, vel non agendi eſſentialiter requiratur, vt ex S. Thomæ ſententijs ſuperiùs adductis, alijſque quæ adduci poſſent, patet euidentèr. In hunc ferè modum loquitur Siluius p.p. quæſt. 41. art. 2. conc. 3. & quæſt. 83. art. 3. & 4. *quæritur*, 2. *ad primum*.

Pater Franciſcus Annata ſoc. Ieſù plures ex adductis S. Thomæ ſententijs doctiſſimè expendit in ſuo opuſculo de libertate incoacta, edito Romæ aduerſus Ianſeniſtas à quibus S. Doct. penitùs diſſenſiſſe euidentèr oſtendit.

Inſi-

X.

1 *Infideles non cognoscunt verum Deum.*
2 *Infideles cognoscunt verum Deum.*
3 *Sancti Thomæ doctrinæ veritas:*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Infideles non cognoscunt verum Deum.

123 
TA S.Tho.2.2.quæst. 2.art. 2. ad tertium vbi sic ait, *Credere Deum non conuenit infidelibus sub ratione, qua ponitur actus fidei; non enim credunt Deum esse sub his conditionibus, quas fides determinat, & ideò nec verè Deum credunt, quia vt Philosophus dicit 9. metaph. in simplicibus defectus cognitionis est solum in non attingendo totaliter*, & quæst. 10. art. 3. c. ait *Per infidelitatem autem maximè homo à Deo elongatur quia nec veram Dei cognitionem habet, per falsam autem cognitionem ipsius non appropinquat ei, sed magis ab eo elongatur. Nec potest esse quod quantum ad quid Deum cognoscat, qui falsam opinionem de eo habet, quia id, quod ipse opinatur, non est Deus*, & 3. c. g. cap. 118. inquit, *quicunque errat circa Deum, non cognoscit Deum, sicut qui credit Deum esse corpus, nullo modo cognoscit Deum, sed apprehendit aliquid aliud loco Dei.*

Con-

Conclusio, quæ censetur D. Thomæ opposita,

Infideles cognoscunt verum Deum.

124 ITa Paulus Apostolus ad Rom. cap. primo vbi loquendo de Infidelibus, ait, *qui cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.* In quo sanè, inquit Card. Lugo de Virt. fid. disp. 8. sec. 2. n. 1. nulla videtur ratio dubitandi præter authoritatem S. Tho. Postea num. 25. sic ait, *video authoritatem S. Thomæ, sed adhuc non credam ipsum negasse omnibus infidelibus veram Dei cognitionem contra testimonium Pauli, & rationes supra adductas, sed in posteriori loco* (scilicet quæst. 10. art. 3.) *videtur solum loqui in sensu formali, quod, scilicet, infidelis, quatenùs infidelis, non habet veram, sed falsam cognitionem Dei: non enim dicit quod per peccatum infidelitatis amittat omnem aliam cognitionem Dei veri aliundè habitam, sed quod per ipsam infidelitatem acquirat falsam Dei cognitionem.*

S. Thomæ doctrinæ veritas.

125 CLariùs videtur Siluius in Comment. Art. 2. prædictæ quæstionis S. Doctoris mentem explicasse, asserendo S. Doctorem loqui de eo, qui falsam opinionem de Deo habet formaliter, idest quatenùs tali opinione vtitur, Deo tribuendo conditiones eas, quæ illi conuenire non possunt; talis enim Paganus dicens de Deo quod non sit omnipotens, quod non omnium prouisor, & quid simile, reuerà Deum non cognoscit, etiamsi fortassè demonstrationem habeat concludentem quod vnus sit Deus, quia hæc propositio *Deus carens omnipotentia, vel omnium prouidentia est verus Deus*

est

est falsa, & infert hanc contradictoriam, ergo non est Deus, quo fit, quod à parte rei Deum qualis in se est non cognoscat is, qui vel vnum eius attributum ignorat (ignorantia scilicet prauæ dispositionis) quia ex vna tali enunciatione falsa, semper inferri potest contradictorium subiecti: materialiter tamen non coniungendo falsam opinionem, quam habet de Deo, cum vera, quam habet de eodem, potest secundum aliquid ipsum cognoscere.

126 Placet etiam Marci Serræ ad locum S. Thomæ ex q. 2. 2.2. desumptum verba referre: nam meo iudicio satis doctè, & ad S.Doctoris mentem explicandam satis apta scripsit, quæ sequuntur. *Caietanus hic, quem sequuntur alij D.Thomæ discipuli, & expositores, ait Author in littera loquitur de errore circa diuina ex parte ipsius Dei absolutè; & ideò dicit quod infideles non verè credunt Deum, Nam quamuis de Deo ex parte nostra, quia sub multis rationibus nobis repræsentatur, contingat aliqua enunciatione errare, & aliqua verè sentire; ex parte tamen ipsius Dei, cum Deus sit omninò simplicissima res, non potest partim verè, & partim falsè cognosci, sed error falsitatis consistit in non attingendo ipsum. Qui enim putat Deum non esse omnipotentem, & putat ipsum esse actum purum, sapientem, &c. quicquid intelligit per has affirmationes, non est illa res, quæ est Deus secundum rem, sed repræsentatus illi sic putanti, quia in re illa non differt totum, & aliquid, ac per hoc non totum, & nihil æquiualent, & consequenter qui in aliquo illius fallitur, nihil illius intelligit. Neque huic obstat Deum, licet sit res simplicissima; non tamen totaliter attingi; sicque quamuis non possit partim attingi, quia non habet partes, quarum vna attingatur, & altera non attingatur: posse tamen per vnum conceptum totum verè attingi, & per alium falsè. Respondetur enim hoc verum esse ex parte nostri, non tamen ex parte Dei; nam ex parte illius potest aliquid totum per vnum conceptum verè attingi, & per alium falsè; ex parte cuius est pluralitas, & distin-*

stinctio rationum; hæc autem non est ex parte Dei, cum sit res omninò simplicissima; sed ex parte nostri imperfecti modi concipiendi, vt patet ex dictis à nobis p.p. q.4. art. 2. dub.2. con.3. Non obstat enim infidelem, qui putat Deum non esse omnipotentem, esse tamen sapientem, quando affirmat Deum esse sapientem, intelligere vnum Dei attributum; ac proindè rem illam, quæ est Deus secundum rem: respondetur namque talem infidelem non intelligere omne attributum Dei secundum rem, sed Dei sibi repræsentati; nam Deus secundum rem sapiens est, & omnipotens, repræsentatur verò infideli sub ratione sapientiæ, & non sub ratione omnipotentiæ; sicque ex parte sui, cum negat Deum esse omnipotentem, errat, & cum affirmat Deum esse sapientem, verè sentit; ex parte tamen ipsius Dei, eo ipso ac in aliquo fallitur, nihil illius intelligit.

Alij denique discipuli D.Thomæ dicunt de Deo nos dupliciter loqui posse: Vno modo ponendo à parte subiecti aliquid illi repugnans, & à parte prædicati proprietatem illi conuenientem tribuendo: vt si dicamus, Deus mortalis est omnipotens: Alio modo non ponendo ex parte subiecti aliquid illi repugnans, & ex parte prædicati tribuendo illi aliquid sibi conueniens; vt si dicamus, Deus omnipotens est sapiens: Qui ergo primo modo cognoscit Deum, nullo modo eum attingit, quia Deus, qui est mortalis, nullo modo est Deus. Qui verò secundo modo Deum cognoscit, verè illum attingit, & cognoscit, & isto modo attigerunt per scientiam naturalem Philosophi, de quibus dicitur ad Rom.1.v.21. Cum cognouissent Deum; nam scientia naturalis solum tribuit Deo suas naturales proprietates, & non aliquid ei repugnans. Similiter isto modo cognoscunt illum fideles, qui habent ignorantiam, & errorem inuincibilem, & Theologi, qui aliquid falsò opinantur de Deo. Infideles verò, quia formant ex parte subiecti conceptum repugnantem Deo, dicendo v.g. Deus qui non est trinus, & vnus, est sapiens; proprietates, quas

tri-

tribuunt Deo, non tribuunt vero Deo, & sic nullo modo cognoscunt Deum. Nec obstat Infideles posse aliquid verè de Deo enunciare, dicendo, scilicet, Deus est sapiens, nulla mentione facta; immò penitùs oblitos suorum errorum, ac proindè non ponendo ex parte subiecti aliquid Deo repugnans; sicque Deum aliquo modo cognoscere: Respondetur enim id negando; nam vt ait D.Tho. 3. c.g. Cap.118 ratione 3. Quicumque errat circa aliquid, quod est de essentia rei, non cognoscit illam rem, sicut si aliquis appræhenderet animal irrationale, æstimans hoc esse hominem, non cognosceret hominem: Vndè cum quicquid Deo conuenit, sit eius essentia, quicumque errat circa Deum, non cognoscit Deum, sed appræhendit aliquid aliud loco Dei, in qua appræhensione semper perseuerat dum manet in tali errore, & propter huiusmodi appræhensionem, quando de Deo aliquid enunciat, dicitur formare ex parte subiecti conceptum Deo repugnantem, quantumuis sui erroris actu non recordaretur. Et non est eadem ratio de fidelibus habentibus ignorantiam, aut errorem aliquem inuincibilem de Deo; nam infideles Deum appræhendunt qualem suis erroribus esse putant; fideles verò nequaquam, sed qualem credunt esse per fidem, quæ nihil Deo repugnans ponit. Quod si aliquando falluntur ob ignorantiam, aut errorem inuincibilem, hoc solum arguit ipsos non habere explicitam notitiam omnium, quæ docet fides, licèt implicitè
127 *credant omnia, quæ fides proponit.* Hucusque Serra, qui in his vltimis verbis respondet validiori argumento, quo loco citato conuincitur Card. Lugo ad ostendendam difficultatem, quam sentiebat in exponenda S.Thomæ doctrina. In eandem sententiam loquitur Bannes vbi supra in Commentario cum cæteris S.Thomæ expositoribus. Vndè manet inconcussa veritas propositionis, quam S.Doctor asseruit.

XI.


1 *Deus non potest creare aliam Terram præter istam, quam habemus.*

2 *Deus potest creare aliam Terram præter istam, quam habemus.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Deus non potest creare aliam Terram præter istam, quam habemus,

128 TA S.Tho. p.p. q.47. art.3. ad tertium per hęc verba: *non enim est possibile esse aliã Terram, quam istam, quia omnis Terra ferretur naturaliter ad hoc medium, vbicumque esset.* Ergo Deus per S.Tho. non potest creare aliam Terram, &c. quod enim est impossibile, non potest fieri neque à Deo.

Conclusio quæ prædictæ opposita censetur.

Deus potest creare aliam Terram præter istam, quam habemus.

129 ITà S. Tho. 1. d. 44. art. 2. cum ait. *Hæc melioratio omnium partium vel potest intelligi secundum bonita-*

nitatem accidentalem, & sic poßet esse talis melioratio à Deo manentibus eisdem partibus, & eodem vniuerso, vel secundum bonitatem essentialem, & sic etiam esset Deo possibilis, qui infinitas alias species condere potest, sed sic non essent eedem partes, & per consequens nec idem vniuersum. Ergo iuxta doctrinam S.Thomæ esset possibile Deo creare aliam Terram præter istam, quam habemus, quod tunc etiam accideret, quando conderet alias species, & consequenter errauit, quando locis citatis docuit oppositum.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

130 RESp. S. Thomam in p. p. loqui de potentia Dei seruato cursu rerum, qui nunc est; intendebat enim in illo art. probare de facto esse tantum vnum mundum; in posteriori verò loco ex primo sent. loqui de potentia Dei absoluta, cui nunquam negauit potentiam creandi plures Terras; cum in ordine ad potentiam Dei nullam id implicet contradictionem: Immò cum S. Thomas doceat p.p. quæst. 25. art. 6. c. qualibet re facta, posse Deum facere meliorem, & ad tertium dicat potuisse Deum alias res facere, vel alias addere istis rebus factis, euidenter tribuit Deo quod possit creare alias Terras meliores ista Terra, quam fecit, quod clariùs docuit lec. 19. super primum librum de Cælo vbi concedit esse possibile Deo facere alios mundos, & hoc concesso, subiungit. *Si Deus faceret alios mundos, aut faceret eos similes huic mundo, aut dissimiles, &c.*

XII.

1 *Possibilis est creatura existens absoluta necessitate.*

2 *Nulla creatura est existens absoluta necessitate.*

3 *Sancti Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Possibilis est creatura existens absoluta necessitate.

131 

TA S. Tho. 2. c. g. cap. 29. seu 30. per hæc verba, *sunt enim quædã in rebus creatis, quæ simplicitèr, & absolutè necesse est esse; illas enim res simplicitèr, & absolutè necesse est esse, in quibus non est possibilitas ad non esse, quædam autem res sic sunt à Deo in esse producta, vt in earum natura sit potentia ad non esse, quod quidem contingit ex hoc quod materia in eis est in potentia ad aliam formam. Illæ igitur res in quibus non est materia, vel si est, non est possibilis ad aliam formam, non habent potentiam ad non esse. Eas igitur simplicitèr, & absolutè necesse est esse.*

Con-

Conclusio, quæ Sancto Thomæ opposita censetur.

Nulla creatura est existens absoluta necessitate.

132 NAm si aliqua creatura esset existens absoluta necessitate, maximè esset vel Angelus vel Anima rationalis, in quibus non est materia, sed hoc est falsum; nã vt dicitur in 6. synodo act. 11. in Synodica Epistola Sophronij, *Angeli, & Animæ rationales non sunt immortales per naturam, sed per gratiam*, quod confirmat Damasc. Lib. 2. Orthod. fidei Cap. 3. dum inquit de Angelo, quòd est substantia intellectualis gratia, & non natura immortalitatem suscipiens: Ergo falsa prædicta S. Doctoris propositio: quæ insuper dicitur dammata à Schola Parisiensi contra Fratrem Thomam; vt legitur in quodam Tractatu, qui solet affigi in calce litteræ Mag. sententiarum.

Sancti Thomæ doctrinæ veritas:

133 REsp. S. Thomam nunquam dixisse aliquam creaturam esse possibilem, quæ existeret absoluta necessitate logica, sed quæ existeret absoluta necessitate phisica; necessitas phisica est, quâ excluditur non esse ex parte causæ materialis intrinsecæ; non verò ex parte superioris agentis, à quo habuit esse. Necessitas verò logica excludit non esse ex parte vtriusque: Angeli igitur, & animæ rationales cum non habeant materiam, necesse est quod semper sint necessitate phisica, quia materia carent, quæ in rebus est potentia ad non esse: sed quia possunt à Deo annichilari, necesse non est quod semper sint necessitate logica, prout idem

S. Tho.

S. Thomas declarauit in 2. c. g. eodem cap. immediatè subdendo, *si autem dicatur quod ea, quæ sunt ex nihilo quantum est de se, in nihilum tendunt; & sic in omnibus creaturis inest potentia ad non esse. Manifestum est hoc non sequi; dicuntur enim res creatæ à Deo eo modo in nihilum tendere, quo sunt ex nihilo; quod quidem non est nisi secundum potentiam agentis. Sic igitur & rebus creatis non inest potentia ad non esse, sed Creatori inest potentia vt eis det esse, vel eis desinat esse influere*, & cap. 55. eiusdem lib. 2. c. g. iterum hæc habet 4. *in substantia intellectuali non est potentia ad non esse*, quod explicat postea 13. per hæc verba *nisi in primo agente, secundum quod potest non influere eis esse; sed ex hac potentia nihil potest dici corruptibile; tum quia res dicuntur necessariæ, & contingentes secundum potentiam, quæ est in eis, non secundum potentiam Dei, tum etiam quia Deus, qui est institutor naturæ, non subtrahit rebus quod est proprium naturis earum. Ostensum est autem quod proprium naturis intellectualibus est quod sint perpetuæ: Vndè hoc eis à*
134 *Deo non subtrahetur*. Item p.p. quæst. 9. art. 2. & q. 10. art. 3. probat Deum solum esse omninò immutabilem; vndè sequitur omnes creaturas esse mutabiles, & secundum potentiam Dei posse non esse; tandem p. p.
135 q.50.art.5. ad tertium totum hoc confirmat dicens. *Per hoc ergo quod dicitur quod omnia deciderent in nihilum nisi conseruarentur à Deo, & etiam Angeli, non datur intelligi quod in Angelis sit aliquod corruptionis principium; sed quod esse Angeli dependeat à Deo sicut à causa; non autem dicitur aliquid esse corruptibile per hoc quod Deus possit illud in non esse redigere; sed per hoc quod in seipso habeat aliquod principium corruptionis, vel contrarietatem, vel saltèm potentiam materiæ.*

136 Ad authoritatē desumptam ex Sexta Synodo respondetur primo ex S. Thomæ doctrina p.p. quæst. 50. art. 5. ad primum, qua exponitur authoritas Damasceni similis formæ supra adductæ, quòd ibi Synodus accipit immortalitatem perfectam, quæ includit omnimodam im-

immutabilitatem; quia omnis mutatio eſt quædam mors, vt Aug. dicit, perfectam autem immutabilitatem, ſcilicet beatitudinem, Angeli non niſi per gratiam aſſequuntur.

137 Resp. 2. Nomine gratiæ in verbis 6. Synodi non intelligi beneficium Dei ſupernaturale, ſed liberale donum Dei, & influxum, quo omnes creaturæ indigent vt ſint, & conſeruentur in eſſe, & ſine quo in nihilum redigerentur, quod liberale donum Dei eſt ordinis naturalis, vt patet, ſed vocatur gratia; ſicut ſi diceremus ex gratia aliquem creatum fuiſſe hominem, vt innuit S. Auguſtinus in ſoliloquijs cap. 7. & ceſſante motu Cœli corpus hominis diuina virtute remanens eſſe incorruptibile per gratiam vel iuſtitiam, vt loquitur S.Tho. opuſc. 10. art. 25. & vlterius explicat opuſc. 11. art. 19. Vndè ſequitur res immateriales dici aliquando creaturas neceſſarias, & incorruptibiles ex gratia; quia non ſunt eiuſmodi ſicut eſt Deus qui eſt de ſe ens neceſſarium immutabile, ſed ex generali Dei dono, quo ſine materia creatæ ſunt; & ità non neceſſitate logica, ſed phiſica ſunt neceſſariæ, cum poſſint à Deo per ſubtractionem ſui influxus, quo continuè conſeruantur, annichilari. Hanc doctrinam firmauit etiam S. Doctor 1. Tim. 1. dum lec. 4. dicit *Deus poſſet dici ſolus immortalis, & ſolus inuiſibilis, ideſt ſpecialis præ alijs*, quod poſteà ibidem cap 6. lec. 3. explicat ſubiungendo, *quælibet creatura in ſe conſiderata habet aliquam mutationem, vel mutabilitatem: Deus autem eſt omninò immutabilis; ſed ſi aliqua creatura eſt immutabilis, hoc conuenit ei ex dono gratiæ*, non quidem ſecundum quod gratia accipitur pro dono ſupernaturali,vt patet; cum multæ ſint creaturæ immutabiles,hoc eſt incorruptibiles ſine gratia ſupernaturali, vt ſpecialiter Dæmones, & Animæ Damnatorum, ſed ſecũdum quod gratiæ donum dicit ſpeciale Dei beneficium, quod excludit habere de ſe, quod naturaliter habetur, independentèr ab aliquo; & hic eſt ſpecialis modus habendi immortalitatem, prout eam habet Deus. Vndè patet S. Tho. benè dixiſ

xisse, & se conformasse sensui verborum; quæ ex 6. Synodo supra fuerunt allegata.

138 Ad Articulum, qui Vniuersitati Parisiensi attribuitur respondet Caiet. p.p. quæst. 9. art. 2. Nos verò dicimus cum Siluio in Apologia pro D. Thoma, & super art. 4. quæst. 50. p.p. S. Thomæ, euidentissimè conuinci articulum illum cum alijs quibusdam ibi recensitis nunquam ab Vniuersitate Parisiensi emanasse, esseq; omninò confictos; & dato quod emanauerint, fuisse ab eadem Vniuersitate anno 1325. reuocatos, prout refert Card. de Turrec. in Trac. de Concep. B. Virg. Par. 6. Cap. 12.

XIII.

1 *Eucharistia est actualis consecratio.*
2 *Eucharistia non est actualis consecratio.*
3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio Sancto Thomæ attributa.

Eucharistia est actualis consecratio.

139 TA videtur docuisse S.Thom. 4. distin.8. quæst. 1. art.1. quæstiun. 1. c. vbi sic ait *Sanctificatio materiæ est hoc Sacramentum*, Ergo Eucharistia est actualis Sanctificatio, seu consecratio.

Conclusio quæ censetur S. Thomæ opposita.

Eucharistia non est actualis consecratio.

140 NAm Eucharistia est res permanens ex cap. *Ego Berengarius* de consec. dist.2.& conc.Trid.sess.13. Can.

Can. 4. quod ibidem cap. 2. dicit Euchariſtiam cibum animæ cap. 6. adorandam adoratione latriæ, & in Proceſſionibus portandam, & Cap. 5. & Can. 7. iubet ſeruari in Sacrario, quæ cum conſecrationi, quæ eſt res tranſitoria, non poſſint aptari, Euchariſtia non erit actualis conſecratio.

141 Item conſecratio, vel ſumitur vt eſt actio illa inſenſibilis, qua virtute verborum conuertitur panis in corpus, & vinum in Sanguinem Chriſti; & hoc modo eſſe non poteſt Sacramentum, quod eſt res ſenſibilis; vel ſumitur pro actione exteriori, & ſenſibili, qua verba conſecrationis proferuntur; ſed hoc modo ſumpta conſecratio, eſt actio, & via, qua conficitur Sacramentum; & conſequenter Sacramentum eſſe non poteſt: neque enim actio qua fit homo, eſſe poteſt homo. Ideo hæc propoſitio *Euchariſtia non eſt conſecratio actualis*, communiter habetur adeò certa, vt ſuſtineri non poſſit oppoſita abſque periculo fidei, pro vt perpendit Corneio in 3. p. S. Thomæ Trac. de Euchariſtia quæſt. 73. art. 1. diſp. 1. dub. 1.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

142 VErum S. Tho. nunquam dixit Euchariſtiã eſſe actualem conſecrationem; immò oppoſitum ſæpius aſſeruit, vt patet in 4. d. 10. in Exp. Text. & 3. p. quæſt. 73. art. 6. c. & alibi: vbique enim docet in Euchariſtia ſpecies eſſe Sacramentum tantum.

143 Verba S. Doctoris; quæ in contrarium adducuntur, explicantur ab aliquibus dupliciter, primo quod intelligenda ſint de Sanctificatione materiæ in facto eſſe, ſeu in termino illius inuiſibilis actionis, ſeu conſecrationis: Secundò in illis Doctorem Sanctum ſumpſiſſe partem pro toto, & locutum fuiſſe impropriè, nec deſunt, qui dixerint ipſum mutaſſe ſententiam, quam docuerat in 4. loco cit. & in alijs ſuæ doctrinæ locis.

144 Sed omiſſis hiſce reſponſionibus, facilis eſt intelligen-

tia verborum S.Thomæ, quæ aliud prorsus sonant, quam id, ad quod adducuntur, dixit S. Tho. in 4. loco adducto gratiam esse in aliquo vt in subiecto, & in aliquo vt in causa; vt in subiecto dixit esse in homine: vt in causa in materijs Sacramentorũ, quæ sunt quædam Sacramentalia, sed in Sacramento Eucharistiæ gratiam esse in materia vt in subiecto; quia eius materia non Sanctificat tantum in vsu, vt accidit in cæteris Sacramentis, sed continet sanctitatem permanentem, quæ est Christus, qui per vnionem Sacramentalem vnitur speciebus Eucharistię quæ nominantur caro à D. Augustino apud Magistrum senten. in 4. dist. 10. quia continent inuisibiliter carnem Christi, vt docet S. Tho. in exp. Textus illius distinctionis: & ideò in Eucharistia Sanctificatio est Sacramentum in alijs verò Sacramentis id, quod pertinet ad vsum materiæ, est Sacramentum.
145 Dixit ergo S. Tho. sanctificationem permanentem in Eucharistia esse Sacramentum; quod est de fide; non verò consecrationem fluentem, & insensibilem, seu sensibilem actionem, quæ habet pro termino Sacramentum, seu Eucharistiam.

***



Chri-

XIV.

1 *Christus Dominus benedixit panem non alijs verbis, vel modo, quam consecratione.*

2 *Christus Dominus post benedictionem panis consecrauit.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Christus Dominus benedixit panem non alijs verbis, vel modo, quam consecratione.

146 TA S.Thomas 3.p.quæst.78. art. 1.ad primum vbi sic ait *Accipiens panem benedixit dicens, Hoc est corpus meum* Idem repetit 4. d. 8. quæst. 2.art.1.quæst.1. ad primum & ad Anibal. in eadem dist. art. 3. ad primum, & super Matth. 26. Capite, sed dicere, *Hoc est corpus meum,* est consecrare. Ergo si docuit S. Tho. Christum Dominum benedixisse panem dicens, *Hoc est corpus meum*, docuit consequentèr Christum Dominum benedixisse panem non alijs verbis, vel modo, quam consecratione.

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita,

Christus Dominus post benedictionem panis, consecrauit.

147 COlligitur ex Sac. Conc. Tridentino sess. 13. cap. primo vbi sic legitur *Hoc tam admirabile Sacramentum in vltima Cœna Redemptorem Nostrum instituisse; cum post panis, vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum Sanguinem disertis, ac perspicuis verbis testatus est: qua verba à S. S. Euangelistis commemorata, &c. Cum propriam illam & apertissimam significationem præseferant, &c.* ex hac Sacri Conc. doctrina sic arguitur: Verba quibus Christus Dominus testatus est se suum corpus, & Sanguinem præbere à S.S. Euangelistis commemorata, sunt verba illa *Hoc est corpus meum*, quæ est consecrationis forma; sed Sac. Concilium docet his verbis Christum Dominum testatum fuisse se præbere suum corpus, & Sanguinem post benedictionem panis, & vini: Ergo post benedictionem panis, & vini illa verba protulit, *Hoc est corpus meum*, quæ fuit forma consecrationis; Ergo benedixit panem, & vinum alijs verbis quam consecratione.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

148 DE hac Controuersia, Vtrum Christus Dominus benedicendo consecrauerit, ità vt protulerit formam consecrationis quando benedixit panem, &c. seu peracta benedictione panis, &c. proferendo postea illa verba, consecrauerit; vndè sequatur dicendum alia actione consecrasse postquam panem benedixerat, quam

Card.

Card. Lugo de Sacram. diſp.2. ſect.1. n.1. vocat mere textualem, non agebat S.Tho. locis citatis ex proprio ſenſu, ſed præcipuè 3.p.&c. ad ſoluendum primum argumentum illius articuli, quod erat contra concluſionem, quam ſtabilire intendebat in corpore, retulit varias Doctorum opiniones, quæ tunc circumferebantur de forma, & modo, quo Chriſtus conſecrauerat. Intendebat enim S.Doctor ibi firmare dogma catholicum de forma auguſtiſſimi Sacramenti, & quod hæc verba *Hoc eſt corpus meum* pertinerent ad formam huius Sacramenti. De ſupradicta verò controuerſia ex propria mente nihil reſoluebat, ſed tantum ex relatis opinionibus eam elegit, quæ hanc formam admittebat; non iudicans de modo, quo eam admitteret, quod ſatis erat, vt argumentum in contrarium adductum ſolueret.

149 Ad bonã enim ſolutionem non requiritur quod concluſio probetur, ſed ſolum quod ab argumento oppoſito defendatur, vt cõmuniter ſentiunt Theologi, & videri poteſt Siluius p.p. q.1. art.1. quer.4. §. *Reſpondetur ad bonam, &c.* Totum hoc clariùs patefiet ſi recolamus primum argumentum illud, quod æquiualet alijs, quæ locis adductis ſibi pariter S.Doctor obiecerat, & in forma eſt huiuſmodi. *Illa verba videntur pertinere ad formam huius Sacramenti, quibus Chriſtus Corpus, & Sanguinem ſuum conſecrauit; ſed Chriſtus antè benedixit (ſeu conſecrauit) panem acceptum; & poſtea dixit, Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum; vt habetur Matth.26. & ſimiliter fecit de Calice. Ergo prædicta verba non videntur pertinere ad formam huius Sacramenti cum antequam proferentur, Chriſtus iam conſecraſſet.* Patet ergo illud argumentum primum probare intẽdiſſe his verbis *Hoc eſt corpus meum*, Chriſtum Dominum non conſecraſſe; ideòque ad formam Sacramenti non pertinere, quod S.Thomæ Con-
150 cluſioni in corpore ſtabilitæ opponebatur. Reſpondet S.Tho. de modo, quo Chriſtus conſecrauerit, multiplicem fuiſſe Doctorum ſententiam, & omnes quidem conueniſſe in concedendo Chriſtum Dominum actione,

qua

qua benedixit panem, & vinum etiam consecrasse, sed in modo, quo benedicendo, consecrauerit, discrepasse: Quidam enim dicebant Christum absque omni forma verborum benedixisse, seu consecrasse, postea verba protulisse, sub quibus alij consecrarent. Hoc reijcit S.Doctor, quia, ait, cum Euangelistæ expresse dixerint Christum benedixisse, hæc benedictio aliquibus verbis facta est, quibus verbis tamen facta fuerit benedictio S.Doctor non dicit; vndè colligi non potest ipsum hic dixisse; fuisse factam benedictionem verbis consecrationis. Alij dicebant benedictionem illam factam fuisse quibusdam alijs verbis nobis ignotis: hoc etiam reijcit S.Doctor; quia, ait, benedictio consecrationis nunc perficitur per recitationem eorum, quæ tunc acta sunt; vndè si tunc per hæc verba non est facta consecratio, nec modo fieret. Ità loco cit ex 3.p.nam in alijs locis nullam facit mentionem de benedictione, dum de secunda hac opinione loquitur. Patet ergo S.Doctorem hic non concessisse consecrationem factam fuisse actione benedictionis, sed dato quod Christus Dominus benedicendo consecrasset, censuisse dici non posse illum vsum fuisse alijs verbis nobis ignotis; quia benedictio consecrationis nunc perficitur verbis, quibus à Christo acta fuit. Vndè patet iterùm S. Doctorem non determinasse Christum benedicendo consecrasse, sed benedictionem consecrationis, quæcumque illa fuerit, peractam fuisse verbis eisdem, quibus Christus Dominus consecrauit; vocauit autem consecrationem benedictionem, eodem modo, quo illa opinio benedictionis nomine vtebatur. Alij dicebant quod illa benedictio eisdem verbis facta est, quibus modò fit, sed quod Christus ea bis protulit; primo quidem secretè ad consecrandum, secundo manifestè ad instruendum; Hanc etiã opinionem reijcit S.Doctor, quia, ait, *Sacerdos consecrat proferens hæc verba, non vt à Christo in occulta benedictione dicta, sed vt publicè prolata. Patet ergo S.Doctorem neque hic dixisse verba, quibus Christus consecrauit, fuisse prolata dum benediceret.* Alij tandem

dem

dem dicebant meliùs, & veriùs, vt S.Tho. iudicat, quod Euangelistæ non semper eundem ordinem in gestis recitandis seruauerunt, quo res sunt gestæ, vt patet per Aug. in lib. de Conf. Euang. Ordo verò huius rei gestæ secundum hanc opinionem, inquit S.Tho. sic exprimi posset Accipiens panem benedixit dicens, *Hoc est corpus meum*; & deindè fregit, & dedit discipulis suis: sed idem sensus haberi potest, inquit, ex verbis Euangelij non mutatis: nam hoc participium, *dicens*, concomitantiam quandam importat verborum prolatorum ad ea, quæ præcedunt; non autem oportet quod hæc concomitantia intelligatur solum respectu vltimi verbi prolati, quasi Christus tunc ista verba protulerit, quando dedit discipulis suis, sed potest intelligi concomitantia respectu totius præcedentis, vt sit sensus, dum benediceret, frangeret, & daret discipulis suis, hæc verba dixit, *Accipite, &c.* Vbi etiam S.Tho. non loquitur ex propria mente, vt patet, sed reddit rationem quarè meliùs, & veriùs cœteris isti huius quartæ, & vltimæ sententiæ dixerint; quia, scilicet, quamuis concederent cum supradictis consecrationem perfectam fuisse à Christo Domino benedictione; fatebantur tamen fuisse factā huiusmodi verbis, *Hoc est corpus meū*; quod Authores primæ & secundæ opinionis non admittebant: reijciebat insuper S.Doct. illas duas eiusdem formæ prolationes contra tertiam opinionem; asserendo vna tantum vice à Christo verba consecrationis prolata fuisse manifestè: commendat tandem authores quartæ opinionis; quia iuxta doctrinam traditam conabantur seruare ordinem rei gestæ à Christo Domino; qui ordo in eorum sententia habebatur non mutatis verbis Euangelij. Vtrum verò hæc
151 eorum opinio esset simpliciter vera, & rectè concederent Christum Dominum benedictione consecrasse; S.Tho. nihil resoluit, sed ab illa opinione tantum sumpsit, quod satis erat ad soluendum argumentum propositum, quasi dixisset: dato etiam quod illius argumenti minor esset vera, scilicet, quod Christus benedictione consecrasset, neganda erat consequentia, quæ aduersabatur conclusio-

sioni ab ipso positæ in corp. art. in qua dicebat sub hac forma, *Hoc est corpus meum*, Christum consecrasse, cuius oppositum illud argumentum inferebat: nam dato etiam quod benedictione Christus consecrasset, vsus adhuc manifestè fuisset illa forma, *Hoc est corpus meum*, vt dicebant veriùs, & melius cæteris authores illius quartæ opinionis, & non alia forma, nec alijs verbis, aut modo, vt argumentum probare intendebat.

152 Videtur tamen S.Doctorem super Cap.26.Matth.propriam mentem propalasse; dum de ordine rei gestæ in consecratione augustissimi Sacramenti tractaret; explicando enim illa verba. *Cœnantibus autem eis accipit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis, & ait, accipite, & comedite, hoc est corpus meum*, dixit, *debet ita legi quod illud, quod dicitur, ait, &c. referatur ad præcedentia, vndè sic dicendo dixit.* Igitur cùm S.Doctor non dixerit de Christo Domino *benedicendo* dixit, sed post præcedentia *dicendo dixit*, constat, cùm benedicere fuerit quid præcedens ad illud, quod Christus dixit, vt patet, alia actione in sententia S.Thomæ Christum benedixisse, ab illa, qua consecrauit, & dixit, *Hoc est corpus meum*.

153 Confirmatur, nam Christus dixit hæc verba consecrationis postquam benedixerat, vt interpretatur idem S.Doctor Euangelij verba, cum inquit super Matth. *illud ait refertur ad præcedentia*, inter quæ est sine dubio benedictio, vt dicebamus. Ergo S.Thomas voluit Christum Dominum prius benedixisse panem, quam dixerit verba consecrationis.

154 Ex quibus patet primo S.Thomam nunquam docuisse consecrationem perfectam fuisse benedictione, sed semper locutum fuisse de hac materia in aliorum sensu, & ex meliori, cæteris paribus, sumpsisse Christum palam consecrasse sub his verbis, *Hoc est corpus meum*, vt suum solueret argumentum; & ideò in omnium sententia asserendum est S.Tho. Sac.Conc.Trid.nullo modo contradixisse.

155 Secundò patet, quod si aliquando in hac materia de pro-

propria mente locutus est S.Doctor, ex eius verbis haberi ipsum sensisse benedictionem præcessisse consecrationem, quod S.Concilium etiam dixisse constat.

156 Vndè non rectè quidam ex verbis Concilij id non haberi putauerunt, illa ita construenda esse existimantes, vt ly *testatus est* referatur ad ly *corpus suum* quasi S.Concil.dixisset. *Hoc Sacramentũ in vltima Cæna Redemptorem nostrum instituisse, cum corpus suum illis præbere, & suum sanguinem post panis, Viniquè benedictionem testatus est disertis verbis, &c.* Ex quo deducunt S.Conc. dixisse Redemptorem nostrum testatum esse in vltima Cæna præbere corpus suum, idest, quod post panis, vinique benedictionem, seu consecrationem erat corpus suum, sed hæc explicatio cum communi Doctorum sensu, in quo S. Concilij verba accipiunt, sit opposita, & eiusdem S.Conc. verbis ægrè satis accomodetur mihi non probatur.



XV.

1 *In Conſecratione Calicis illa Verba* Noui, & æterni teſtamenti, &c. *ſunt eſſentialia, ſicut illa.* Hic eſt ſanguis meus.

2 *In Conſecratione Calicis illa verba* Noui,& æterni teſtamenti, &c. *non ſunt eſſentialia, ſicut illa* Hic eſt ſanguis meus.

3 *Sancti Thomæ doctrinæ veritas.*

Concluſio Sancto Thomæ attributa.

In conſecratione. Calicis illa verba Noui, & æterni teſtamenti, *&c. ſunt eſſentialia, ſicut illa* Hic eſt ſanguis meus.

157 
TA S.Tho.4.d.8.q.2.art.2.q.1. vbi ſic ait, *ideò alij probabiliùs dicunt quod totũ, quod ſequitur, eſt de forma; cum totum hoc, quod additur, non ſit locutio per ſe, ſed ſit determinatio prædicati,* & ad tertium ait. *Et ideò oportet quod ſint de ſubſtantia formæ,* vbi præmiſerat, *illa* (hoc eſt verba) *quæ ſequuntur; ſcilicet, ad* (*Hic eſt Calix ſanguinis mei*) *ſunt*

sunt essentialia sanguini, prout in hoc Sacramēto consecratur, & lec.6. super 1. Cor. 11. sic ait. *Sed circa ista verba, quibus Ecclesia vtitur in consecratione Calicis, quidā opinantur quod non omnia sint de necessitate formæ sed solum, quod dicitur, Hic est Calix sanguinis mei; non autem residuum, quod sequitur, Noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: sed hoc non videtur conuenientèr dici; nam totum illud, quod sequitur, est determinatio prædicati; vndè & ad eiusdem locutionis sententiam, seu significationem pertinet. Et quia, vt sæpè dictum est, formæ sacramentorum significando efficiunt, totum pertinet ad vim effectiuam formæ.* Idem repetit ad Anib. in 4. d.8. art.4. sed clariùs 3. p.q.78. art.3. sic loquitur, *quidam dixerunt quod de substantia formę huius est hoc solum, quod dicitur, Hic est calix sanguinis mei; non autem ea, quæ sequuntur. Sed hoc videtur inconueniens, quia ea quæ sequuntur sunt quædam determinationes prædicati, idest sanguinis Christi: Vndè pertinent ad integritatem eiusdem locutionis, & propter hoc, sicut alij meliùs dicunt, omnia sequentia sunt de substantia formæ vsque ad hoc, quod postea sequitur. Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Cum verò S. Doctor dicit, *de substantia formæ*, intelligendus est de essentia formæ; nam supra q.60. art.8. inquit. *Si dimittatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, non perficitur Sacramentum*, hoc autem, *de substantia*, non nisi de eo, quod est de essentia formæ intelligi potest.



Conclusio, quæ censetur S.Thomæ contraria.

In Consecratione Calicis, illa verba Noui & æterni testamenti, &c. *non sunt essentialia, sicut illa* Hic est sanguis meus.

158 SVarez in 3.p. Tomo 3. disp. 59. sec. 1. postquam dixerat sententiam, quæ exigit in forma Calicis tanquam essentialia illa verba *Noui*, &c. esse valdè probabilem, & magnæ authoritatis, postea §. *Secundum, & vrgentissimum argumentum*, insinuat se eandem sententiam reputare temerariam, & contra vniuersalem traditionem, quia Ecclesia Græcorum liturgias recipit, & probat, vt videre est in 6. Synodo. At Græci in forma Calicis omittunt illa verba, *Noui, & æterni testamenti, &c.* qua Græcorum forma confici Sacramentum certum est; tum quia Ecclesia Romana Græcos nunquam damnauit de formæ, qua vtuntur insufficientia, nec eos aliquandò in hoc de errore notauit; tum quia in Conc. Florentino, cum Græci respondissent se credere illa sua forma confici Sacramentum, à Latinis non fuerunt condemnati, nec de hac sententia in eodem Conc. inueniuntur expostulati; immò nec ab Eugenio IV. in litteris Vnionis hæc forma Græcorum reiecta fuit, quod sine dubio præstitisset, si insufficientem esse iudicasset. Præterea Conc. Trid. sess. 13. Cap. 4. probat panis, & Vini substantiam transubstantiari in corpus, & sanguinem Christi, quia Christus dixit id, quod sub speciebus panis offerebat, verè esse corpus suum; sed etiam Christus dixit id, quod sub speciebus vini offerebat, verè esse sanguinem suum per hæc verba, *Hic est Calix sanguinis mei*; Ergo ex veritate horum verborum statim

ac

ac fuerint prolata, probat Conc. fieri conuerſionem ſubſtantiæ vini in ſanguinem, atque adeò habere ſuum effectum antequam ſequentia verba proferantur. Vndè videntur omninò aduerſari definitioni Tridentini, qui negant illis ſolis verbis, *Hic eſt ſanguis meus,* conuerti vinum in ſanguinem Chriſti. Ita Card. Lugo de Sac. Euchar. diſp. 11. ſec. 4. n. 64. ſequutus Vaſquez loco ibi citato.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

159 S. Thomas in ea eſt ſententia, quod illa priora verba *Hic eſt Calix ſanguinis mei,* conſtituant eſſentialem formam Sacramenti; alia verò verba, quæ ſequuntur, ſint de ſubſtantia formæ, prout ſubſtantia ſignificat integritatem, non eſſentiam; ſint autem eſſentialia ſanguini prout in hoc Sacramento conſecratur, quia effuſio ſanguinis implicitè ſaltim in ſanguine, qui in forma conſecrationis ponitur, eſt intelligenda, dum dicitur *Hic eſt Calix ſanguinis mei,* vt mox explicabimus.

160 Probatur primo ex eodem S. Tho. 3. p. quæſt. 76. art. 1. c. vbi ſic ait. *Ex vi quidem Sacramenti eſt ſub ſpeciebus huius Sacramenti id, in quod directè conuertitur ſubſtantia panis, & Vini præexiſtens; prout ſignificatur per verba formæ, quæ ſunt effectiua in hoc Sacramento, ſicut & in cæteris, putà cum dicitur Hoc eſt corpus meum,* vel *Hic eſt ſanguis meus*. Idem dixit q. 78. ar. 1. vbi quærit Vtrum hæc ſit forma Sacramenti. *Hoc eſt corpus meum,* & *hic eſt Calix ſanguinis mei*, cui quæſtioni reſpondet affirmatiuè, & in corp. ſic ait, *ſed forma huius Sacramenti importat ſolam conſecrationem materię, quæ in tranſubſtantiatione conſiſtit, putà cum dicitur Hoc eſt corpus meum,* vel *Hic eſt Calix ſanguinis mei.* Ergo ſentit D. Tho. hanc eſſe formam eſſentialem Sacramenti; nam illa eſt forma eſſentialis Sacramenti, per quam fit conſecratio materiæ, quæ in tranſubſtantiatione conſiſtit; ſed hæc forma

ma per S.Thomam est ista, *Hic est Calix sanguinis mei*. Ergo hæc forma per S.Thomam est essentialis Sacramenti. Confirmatur ex eiusdem S.Doctoris responsione ad quartum; obiecerat sibi S.Thomas hoc arg. *forma Sacramenti sufficit ad perfectionem Sacramenti; Si ergo prædicta verba sunt forma huius Sacramenti, videtur quod aliquando possit hoc Sacramentũ perfici his solis verbis prolatis, & omnibus alijs prætermissis, quæ in Missa dicuntur* respondet S. Doctor *ad quartum dicendum quod quidam dixerunt hoc Sacramentum perfici* nō *posse prædictis verbis prolatis, & alijs prætermissis, præcipuè quæ sunt in Canone Missæ, sed hoc patet esse falsum, &c. Vndè dicendum est quod si Sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum*. Verba autem prædicta, ad quæ S. Doctor se refert, sunt quæ in corpore Articuli expresserat. At verba, quæ in corpore Articuli expresserat, sunt tantum ista *Hic est Calix Sanguinis mei* ergo in sententia S. Thomæ hæc est forma essentialis Sacramenti, qua prolata cum debita intentione, perficitur hoc Sacramentum.

161 Confirmatur 2. ex eodem S. Doctore qui art.3. illius quæst.78. 3.p. sic ait. *Omnia prædicta verba, (scilicet, Hic est Calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum) sunt de substantia formæ, sed per prima verba, cum dicitur, Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conuersio vini in sanguinem eo modo, quo dictum est in forma consecrationis panis*. Ex quibus verbis sequitur de mente S.Thomæ hanc formam, *Hic est Calix sanguinis mei*, esse essentialem formam Sacramenti; & quia significat conuersionem, nam verba formæ efficiunt, quod significant, & quia dicit S.Doctor istam formam significare conuersionem vini, sicut dixerat de forma consecrationis panis; sed hæc sola forma *Hoc est corpus meum*, significat conuersionem panis, & efficit quod significat, vt dixerat art.2. Ergo hæc forma, *Hic est sanguis meus*,

de

de mente S.Thomæ significat conuersionem vini, eamque efficit.

162 Hinc patet illa verba, quæ sequuntur ad, *Hic est Calix sanguinis mei* in sententia S.Thomæ, non esse de essentia formæ, sed de integritate formæ, quam integritatem nomine substantiæ S.Thomas expressit; sunt autem de integritate formæ Sacramenti sanguinis, sicut hæc verba *A peccatis tuis*, sunt de integritate formæ Sacramenti Pœnitentiæ, quod infertur ex Conc. Trid. dum sess. 4. Cap. 3. dixit formam Sacramenti Pœnitentiæ esse hanc, *Absoluo te, &c.* vbi, vt obseruauit Card. Lug. de Pœnit. disp. 13. Sec. 1. n. 35 addidit illam particulam, *&c.* ad significandum, quod verba, *à peccatis tuis*, pertineant ad formam Sacramenti, etiamsi non pronuncientur, quia necessariò includuntur in illis verbis præcedentibus, *Absoluo te.* * Contradicit nobis in exẽplo tradito idem Card. Lugo ibidem n. 28. qui consequentèr ad ea, quæ tradiderat in Trac. de Sac. Euch. disp. 11. sec. 4. cum Vasquez docet verba, quæ sequuntur ad, *Hic est Calix sanguinis mei*, non contineri in istis; ideóque nihil operari, & comparat illa verba, quæ sequuntur ad, *Hic est Calix sanguinis mei*, cum illis verbis, quę sequuntur apud Græcos ad formam corporis *Hoc est corpus meum*, scilicet, *quod pro vobis tradetur*, quæ posteriora verba reuerà nihil operantur: sed respondemus istã posteriorem comparationem esse prorsùs ineptam; nã, vt rectè S.Doctor ad Anib. 4. d. 8. art. 4. ad septimum

163 dixit, *non est simile*, scilicet, quod adducitur de forma Græcorum in consecratione panis, *effusio enim sanguinis dicit causam immediatam mortis; non sic autem corporis traditio*, quapropter alio diuerso modo limitant illa verba, *quod pro vobis tradetur*, corpus; alio modo illa verba, quæ sequuntur ad, *Hic est Calix sanguinis mei*, sanguinem; & ita ruunt validiora argumenta, quæ contra doctrinam hanc S.Thomæ solent adduci, quæ videri possunt apud Lugo loco cit ex Trac. de Euch.

* pariter S. Th. 4. c. g. c. 64. dixit, *& similiter sub speciebus vini est sanguis Christi cum dicitur, hic est calix sanguinis mei &c.* ad significandũ effusionem includi in verbis præcedentibus, & pertinere ad formam sacramenti, etiam si non pronunciarentur

164 Doctè explicat hanc S.Thomæ sententiam Corneio super 3. p. q. 78. art. 3. disp. vii. dub. 3. in fine, dum ait,

ad

ad conuersionem Calicis opus est vt significetur sanguis separatus à corpore per modum effusionis, seu passionis in Redemptore nostro, & in nostram redemptionem: ideò necessarium est addere, qui pro vobis effundetur; quia etiamsi Christus Dominus non fuisset operatus nostram salutem, vt in casu, quo iuxta doctrinam Scoti, non existente peccato Adami, veniret in mundum in carne impassibili, posset nihilominùs Sacramentum hoc instituere, in quo nulla esset ratio sacrificij cruenti, & etiam potuisset instituere vt ex vi verborum consecraretur solus sanguis, sicut modo; & tamen tunc ex tali sacramentali separatione sanguinis à corpore præcisè non posset colligi quod esset sanguis separatus in remissionem peccatorum.

165 Dices necessarium non esse exprimere in forma Calicis sanguinis effusionem; nam ex hoc sequeretur aliquid sanguinis esse in Calice per concomitantiam, & non ex vi verborũ: Probatur sequela; nam Christus dixit in Cœna *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur*; ergo intelligebat de illo tantum sanguine effundendo, quem tunc habebat in venis; non de illo sanguine, qui postea genitus successit ab instanti prolationis illorum verborum, quia tunc ille sanguis adhuc non erat: si igitur ille solus sanguis consecratur, quem tunc Christus dicebat esse suum sanguinem pro multis effundendum; cum hoc non esset nisi sanguis, quem actualiter habebat in venis, hic tantum consecratur ex vi verborum, & alius sanguis postea genitus erit in Calice per concomitantiam, quod est absurdum; cum post consecrationem totum id, quod est in Calice sub speciebus vini, sit sanguis Christi ibi existens ex vi verborum: In hoc argumento magnam vim facit Lugo de Euch. loco cit.

166 Resp. effusionem sanguinis esse necessariò intelligendam in forma sacrificij incruenti; quia necessaria fuit in sacrificio Crucis vt esset cruentum, separatio sanguinis à corpore, vt explicatum est; per verba autem Christi non importatur effundendus tantum sanguis tunc actu existens, sed omnis sanguis, qui mortis suæ tempore esset

ſet in venis, deſignata rei ſpecie, iuxta ſolitum dicendi modum, *darò tutto il mio ſangue nel tal effetto*, hoc eſt omnem ſanguinem meum effundam in illa occaſione, & hunc, quem modò habeo, & quem habebo. Ipſe Lugo de Myſt. Incar. diſp. 14. ſec. 5. n.78. fatetur partes ſanguinis de nouo acquiſitas eſſe eũdem ſanguinem moraliter cum ſanguine præcedenti, & deperdito, propter ſucceſſionem, & continuationem moralem; ſi ergo ſanguis, qui tempore, quo conſecrauit, non erat in venis Chriſti, ſed ſucceſſit de nouo acquiſitus, fuit idem ſanguis moraliter cum eo, qui tunc erat in eius venis; ſanguis, qui effundendus dicebatur in Cœna, comprehendebat etiam ſanguinem, qui præcedenti, & deperdito ſucceſſerant: idem enim ſanguis moraliter effundendus erat, vt patet.

167 Confirmatur; ab hora conſecrationis ad mortem aliqua pars ſanguinis Chriſti fuerat deperdita, quæ in carnem tranſierat, & alia pars ſanguinis fuerat acquiſita, quæ præcedenti deperditæ ſucceſſerat. Poſſet ergo dici quod ſanguis, quem Chriſtus effundendum dixerat in Cœna, non fuerit effuſus; nam ille, qui in carnem tranſierat, non eſt effuſus, quod Chriſti verbis contradicit, quæ vt verificentur, aſſerendum erit ipſum intellexiſſe de ſuo ſanguine effundendo, quem nec totum, quem tunc habebat in venis, nec ſolum effundere intendebat phyſicè loquendo; ſed totum ſanguinem qui, dum effunderetur, vel eſſet tunc præſens, vel ſucceſſiſſet præterito deperdito; & eſſet idem moraliter cum ſanguine, quem dum conſecrauerat, erat in venis, quando dixit *Hic eſt Sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur*.

168 Cætera Argumenta, quæ ſolent adduci ex aduerſo, & videri poſſunt in Tract. cit. Card. Lugo, ad euertendam doctrinam traditam, probare intendunt verba illa, quæ ſequuntur ad, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, non concurrere effectiuè ad conſecrationem Sanguinis ſimul cum præfatis verbis; quia non continentur implicitè in ipſis, ſicut ly *à peccatis tuis* continetur implici-

tè in ly *Absoluo tè*. Verum hoc doctè negat idem Corneio vbi supra; dum ait; *licet cætera verba, hoc est, Noui & æterni, &c. expressè, & formaliter non sint de necessitate formæ; bene tamen implicitè, & virtualiter inclusam alijs efficiunt transubstantiationem.* Vndè dum arguit Vasquez in 3. p. Tomo 3. disp. 198. cap. 4. non esse simile de forma absolutionis, & Sacramenti Calicis: nam in forma absolutionis hæc verba *à peccatis tuis* ita implicitè continentur, vt nisi in ea intelligantur, non determinant ly *Absoluo*, sed in forma Sacramenti verba illa, *Hic est Calix Sanguinis mei*, habent sensum perfectum, etiamsi posteriora, nec quidèm implicitè, in eis contenta intelligantur.

169 Respondetur negando non reperiri allatam paritatem inter formam Sacramenti Calicis, & Pœnitentiæ: nam in vtraque posteriora verba in prioribus continentur implicitè, vt dictum est. Sicut enim cum Sacerdos dicit *absoluo te*; quamuis hoc sit indifferens ad significandam absolutionem à Censuris, vel peccatis; tamen ratione materiæ, circa quam cadit, & ex alijs circunstantijs, in quibus profertur, limitatur ad absolutionem peccatorum per continentiam implicitam illorum verborum posteriorum, scilicet, *à peccatis tuis*. Ità dum dicitur *Hic est Calix Sanguinis mei*, ratione materiæ, & circunstantiarum limitatur sanguis ad effundendum; & ideò verba posteriora concurrunt vt implicitè contenta in prioribus ad effectum Sacramenti, quod voluit S. Thomas cum locis cit. dixit *illa verba posteriora esse determinationes prædicati, idest Sanguinis Christi.*

170 Prætereà, sicut si quis in forma absolutionis, ante illud, *Absoluo*, poneret, *à peccatis tuis*, sic dicendo *Ego à peccatis tuis absoluo tè*, tunc illa verba, *à peccatis tuis*, concurrerent ad effectum Sacramenti, prout concurrunt illa *absoluo tè*. Ità si quis diceret in forma Sacramenti Calicis. *Hic Calix nouum Testamentum est in meo Sanguine*; in quo casu valide conficeret Sacramentum, vt docet idem Lugo resp. Moral. lib. 4. dub. 18. n. 4. Tunc ly *nouum Testamentum* concurreret ad effe-

effectum Sacramenti, prout concurrunt illa verba *in meo Sanguine*.

171 Patet ergo verba, quæ sequuntur ad illa *Hic est Calix Sanguinis mei*, esse quidem de substantia implicitè inclusa in eis, &, si exprimantur in forma explicitè, vt dictum est, concurrere ad effectum Sacramenti; Verùm non esse essentialia, quia sine illis fieri potest consecratio: Vndè rectè dicuntur pertinere ad substantiam formæ integralitèr, non essentialitèr, sicut *satisfactio* est quidem pars substantialis Sacramenti Pœnitentiæ, sed quia sine satisfactione adhuc constat Sacramentum dicitur pars integralis Sacramenti.

172 Nec valet redargutio Vasquez vbi supra dicentis non esse simile de satisfactione, & illis verbis consecrationis sanguinis; nam illa verba non ordinantur ad aliquid distinctum significandum, sicut satisfactio, quæ ordinatur ad significandam ablationem pœnæ, quod non significatur per alias partes Sacramenti Pœnitentiæ.

173 Respondetur enim hoc falsum esse; nam etiam per contritionem, & Confessionem significatur ablatio pœnæ, vt patet, & aliquandò per contritionem, si sit vehementissima, tollitur omnis pœna futuræ vitæ, vt certum est apud omnes; & docet S. Thomas in 4. d. 17. quæst. 2. art. 5. quæst. 2. c. qui dist. 20. quæst. 1. art. 2. quæst. 1. c. sic ait *considerata tamen contritionis quantitate, & Confessione, & absolutione; quia per omnia hæc aliquid de pœna dimittitur*. Idem S. Doctor docuit ad Anibald. eadem dist. art. 3. c. & dist. 21. quæst. 1. art. 2. sic iterum dicit: *Confessio operatur præsupposita contritione, quæ culpam delet, & sic ordinatur Confessio directè ad dimissionem pœnæ; quod quidem facit, & ex erubescentia, quam habet, & ex vi clauium, cui se confitens subijcit*. Vide Manualis huius secunda parte concl. 38.

XVI.

1 *In eo, quod generatur ex ſpeciebus Euchariſtiæ, non manet materia ſubſtantialis, ſed quantitas loco materiæ.*

2 *Cenſetur falſa.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Concluſio S. Thomæ attributa.

In eo, quod generatur ex ſpeciebus Euchariſtiæ, non manet materia ſubſtantialis, ſed quantitas loco materiæ.

174 TA Sanctus Thomas 4. diſtin. 12. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 4. & 3. part. quæſt. 77. art. 5. quam etiam innuit 4. c. g. Cap. *66.* vt Ferrarienſi placuit.

Cenſetur falſa.

175 VErùm hoc eſſe omninò falſum, & in Philoſophia errorem, patet expreſsè; impoſſibile enim eſt ex quantitate, quæ eſt accidens, & ex forma ſubſtantiali fieri vnum per ſe, & compoſitum ſubſtantiale, quale eſt, quod generatur ex ſpeciebus Euchariſtiæ, eſſe enim ſubſtantialis principium, forma accidentalis eſſe non poteſt, ſed ſubſtantialis tantum, vt dixit ipſemet S. Thomas de Potent. quæſt. 3. art. 7. c.

S.Tho.

S.Thomæ doctrinæ veritas.

176 SEd ſciendum eſt S. Doctorem locis citatis, excluſis quibuſdam opinionibus tanquam impoſſibilibus, dum probabiliùs eſſe tenet, quod quantitas maneat in illa generatione loco materiæ, non intendiſſe manere quantitatem in ſtatu accidentis; ſed mentem eius fuiſſe quantitatem in inſtanti generationis tranſire in materiam ſubſtantialem diuina virtute, ex qua educitur in inſtanti generationis forma ſubſtantialis, ad quam ſequuntur dimentiones iuxta doctrinam Thomiſtarum. Hæc enim docuit S. Tho. 3. p. cit. ad tertium, *quantitas dimenſiua panis, & vini retinet naturam propriam, & accipit miraculosè vim, & proprietatem ſubſtantiæ, & ideò poteſt tranſire in vtrumque ſcilicet, in ſubſtantiam, & dimentionem* ideſt, ſicut ſubſtantia panis tota conuertitur in corpus Chriſti, ita tota quantitas conuertitur in materiam ſubſtantialem, ex qua, vt quo, dimentiones manant in ſubiecto de nouo genito. Et quamnis hæc opinio S. Doctori viſa fuerit melior alia, quæ dicit materiam ſubſtantialem in caſu, quo aliquid generatur ex ſpeciebus Euchariſtiæ, de nouo creari; ne dùm, quia iuxtà illam opinionem ſaluatur quod abſque nouo miraculo, & ex vi miraculi præcedentis hæc generatio fiat; ſed etiam quia Sancti, qui de creatione rerum egerunt, innuunt Deum nunquam creare aliam materiam de nouo præter illam, quam de facto creauit in prima rerum productione, vt patet in 4. ad Anibal. diſt. 12. art. 3: ex eius tamen verbis apertè colligitur illam etiam opinionem, quæ ponit in dicto caſu materiam de nouo creatam, probabilem eſſe iudicaſſe, & ſecundum vtramque ſententiam voluiſſe explicari poſſe modum, quò contingit aliquid generari ex ſpeciebus Euchariſtiæ, vt in illo art. ex 3. p. citato dicit expreſsè.

Si

XVII.

1 *Si admisceatur Vino consecrato aliud Vinum non consecratum, non remanebit ibi Sanguis Christi.*

2 *Quod contra S. Thomæ doctrinam adducitur.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Si admisceatur Vino consecrato aliud Vinum non consecratum, non remanebit ibi Sanguis Christi.

177 T A Sanctus Thomas quodlibet 10. art. 3. 4. distin. 12. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 6. & 3. p. quæst. 77. art. 8.

Quod contra S. Thomæ doctrinam adducitur.

178 REpræhenditur de hac sententia S. Thomas primo quia est contra morem Ecclesiæ Græcorum ab Ecclesia Vniuersali non improbatum, in qua post consecrationem Sacerdotes, vt quidam nobis retulerunt, commiscent Calici denuò aliam aquam; & post hanc mistionem adhuc ibi sanguinem Christi remanere Eccle-

clesia Græca Catholica firmiter tenet. Ergo idem teneret si Vino consecrato admisceretur vinum non consecratum.

Secundò, quia S. Tho. ideò dicit in Vino consecrato si misceatur vinum non consecratum, desinere esse sanguinem Christi, quia illud vinum esset aliud indiuiduum à priori consecrato; per hoc autem, inquit Suarez in 3. p. Tract. de Sacramentis, Tomo 3. disp. 57. sec. 4. Probaretur etiam desinere esse corpus Christi sub speciebus, si species diuiderentur in duò indiuidua, quod est contra fidem; Lugo verò de Sacram. Euchar. disp. 10. sec. 3. n. 41. loquendo de hac D. Thomæ doctrina; inquit *eam communitèr non solum difficilem, sed minùs probabilem reputari*.

Insuper, qui Sancto Thomæ in hac doctrina contradicunt, asserunt eam reprobari ab Innoc.III.in cap. *Cum Martha*, de Celebrat. Missarum, vbi Vino non consecrato infuso in vinum consecratum, decernitur manere quidem species Vini consecrati mistas cum vino non consecrato; non verò desinere ibi esse Sanguinem Christi.

Obstat etiam Ordo Romanus antiquus, vbi cap. 4. iuberi dicitur species consecratas misceri cum alio vino non consecrato, vt totus Populus posset ex illo accipere, & Sanctificari; ex quo patet per illam mistionem non desinere esse ibi sanguinem Christi, aliàs approbata non fuisset illa mistio.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

179 VEruntamèn doctrina S. Thomæ fideliter adducta, nedùm non est nec difficilis, nec minus probabilis, sed prorsùs ab omnibus Catholicis amplectenda.

180 Certum est enim apud omnes Catholicos, quod corpus, & Sanguis Christi remanent sub speciebus quandiù species manent; quibus cessantibus desinit sub eis esse Corpus Christi, pariter, & Sanguis. Ita S. Tho

3. p.

3. p. quæst. 76. art. 1. ad tertium & quæst. 77. art. 4. & alibi; omnes Theologi veteres quos adducit, & sequitur Suarez de Sacram. vbi supra disp. 46. sec. 8. §. *Dicendum est tertio* Card. Lugo de Sacram. Euchar. disp. 10. sec. 3. n. 36. cœterique omnes recentiores, qui de hac materia scripserunt; & insuper est de fide, hoc supposito S. Thomas docet, quotiescumque Vinum non consecratum eiusdem, vel alterius coloris, Vino consecrato miscetur; & hac mistione posita, non manent eedem species; speciebus cessantibus, desinere esse Sanguinem Christi sub eis: si verò hac mistione posita, ad huc manent species, non desinere Christi Sanguinem esse sub eis.

181 Hoc posterius disertis verbis dixit S. Doctor in corp. illius articuli, quodl. 10. *Nam ipsa additio, inquit, non tollit essentiam dimentionis, sed variat terminationem eius, quæ quidem variatur non solum per additionem, sed etiam per diuisionem; Vndè si talis variatio sufficeret ad hoc, quod desineret esse sub speciebus Corpus, vel Sanguis Christi, sequeretur quod per diuisionem specierum similiter esse desineret, quod patet esse falsum*; & ad secundum ità loquitur, *species autem Sacramentales non destruuntur quibuscumque qualitatibus variatis, quia si odor vini, vel color mutaretur, non propter hoc desineret ibi esse Sanguis Christi*. Idem repetit in 4. vbi supra in corp. quæstiunculæ 6. Patet ergo S. Thomam docuisse per additionem vini non consecrati, vel eiusdem, vel diuersi coloris, odoris, seu saporis, Vino consecrato, si maneant essentialiter eedem dimentiones, non desinere esse ibi Sanguinem Christi.

182 Si verò dimentiones illæ essentialiter immutarentur, per talem additionem, docet, desinere ibi esse sanguinem Christi; nam inquit ad secundum art. illius quodl. *Species Sacramentales, non destruuntur quibuscumque qualitatibus variatis; quia si odor vini, vel color mutaretur, non propter hoc desineret ibi esse sanguis Christi, nisi dimentiones, quæ cæteris accidentibus subsunt,*

vi-

vicem substantiæ gerentes secundum essentiam destruerentur, quod aliter accidere non potest, quàm accideret de substantia vini, si ibi esset, sicut ergo, supposito quod destruerentur dimentiones in vino non consecrato per additionem alterius vini, destrueretur substantia vini, nec esset amplius hoc vinum numero, quod erat prius: Itá supposito quod per additionem cuiuscumque alterius vini non consecrati eiusdem, vel diuersi coloris destruerentur dimentiones, quæ in Sacramento gerunt vicem substantiæ; sequitur euidentèr quod post mistionem non remaneret hoc numero vinum consecratum, sub cuius speciebus fuerat sanguis Christi quandiù illæ dimentiones perdurauerunt, & illis destructis per illam additionem, vt supponimus, desineret sub eis esse sanguis Christi. Itá S. Tho. 3. p. in illo art. 8. q. 77. per hæc verba. *Manifestum est autem ex prædictis quod Corpus, & Sanguis Christi remanent in hoc Sacramento quãdiù illæ species manent eedem numero. Consecratur enim hic panis, & hoc vinum; vndè si fiat tãta permistio liquoris cuiuscumque, quod pertingeret ad totum vinum consecratum, & fiat permistum, erit aliud numero, & non remanebit ibi sanguis Christi.* Quod verò obijciunt Aduersarij Vinum vino admistum speciem Vini soluere non posse, etiamsi illis concedatur theologicè loquendo, S. Thomæ doctrinæ theologicæ non contradicit: nam S. Thomas Theologum agens non disputat de possibilitate illa physica, sed disputat vtrum vino consecrato possit aliquis liquor misceri, & recensitis omnibus modis, quibus dici posset alios liquores á Vino posse vino consecrato misceri, recenset modos, quibus vino consecrato aliud vinum possit admisceri; & concludit, quod si vinum, quodcumque illud sit, vino consecrato admistum non destruit dimentiones essentialitèr, ita vt maneat post mistionem idem vinum numero consecratum, remanet ibi sanguis Christi, si destruit, & posita mistione transit in aliud vinum numero, vino consecrato priore cessante, non remanet ibi sanguis Christi. De hac Cõclusione nemo, si Catholicus sit, dubitare potest.

183 Sed dices S.Thomam expreſsè docuiſſe vinum,ſi vino miſceatur, vinum cui miſcetur corrumpere, & aliud vinum reſultare; hoc verò communitèr improbatur, vt patet; quod id S. Thomas docuerit, oſtenditur; quia in 4. vbi ſupra ait. *Si autem eſſet eiuſdem ſpeciei, fieret aliud vinum ſecundum numerum; maximè quantum ad accidentia*, & in art. illius cit. quodl.ita dicit. *Vel deſineret eſſe hoc vinum ſi eſſet eiuſdem ſpeciei*, & tandem in 3. p. cit. ſic loquitur, *ſi eſſet eiuſdem ſpetiei liquor adiunctus (putà ſi vinum permiſceretur vino) remaneret quidem eadem ſpecies ſed non remaneret idem numero vinum, quod declarat diuerſitas accidentium, putà ſi vnum vinum eſſet album, & aliud rubeum*. Ex quibus patet S.Thomam abſolutè loqui, & docuiſſe expreſsè, dum vinum non conſecratum admiſcetur vino conſecrato in quantitate, qua poſſet diffundi per totum illud vinum; ita vt totum fieret permiſtum, quomodocumque id fiat, reſultare aliud vinum; & ideò ibi deſinere eſſe ſāguinem Chriſti ſub ſpeciebus.

184 Reſp. admittendo S.Thomam abſolutè docuiſſe, cum Philoſophum ageret, poſſe duo vina inter ſe miſceri, ita vt ex mutua alteratione ambo corrumpantur, & reſultet tertium vinum; quod rationabiliter non poſſet à quouis Philoſopho improbabile iudicari, hoc non eſt de omnibus vinis intelligendum, vt docent communiter Thomiſtæ apud Nugnum ſuper illum art. 8. q. 77. 3.p. ſunt enim vina quædam earundem qualitatum, vel ſatis ſimilium, quamuis etiam non conueniant in colore, ita vt inter ea vel nulla,vel minima ſequi poſſit alteratio: Sunt verò quædam vina, quæ habent qualitates valdè diſſimiles, ac variæ virtutis, & vigoris diuerſi, quod ſolet magis verificari in vinis rubris, quæ ab albis ſpecie differre aliqui putant; inter hæc poſſet eſſe alteratio, ſi non ſtatim ac permiſcentur, ſaltim poſt magnum motum, vel multum tempus, vt loquitur Siluius ibidèm cum Victoria; & conſequentèr ſi hæc duo vina miſceantur; poterunt ita perfectè miſceri, vt ex illis adinuicem corruptis, tertium reſultet, quod nullum co-

rum

rum sit hoc vnum Vinum, quod erat priùs.

185 Supposita hac philosophica sententia apud Thomistas communitèr recepta, S.Thomas Theologum agens docet, quod si vinum non consecratum vino consecrato misceatur, & vina sint similium qualitatum, ita vt ex tali mistione species Sacramentales non destruantur, etiã si ex tali mistione mutaretur odor, vel color, &c. non propter hoc desineret ibi esse sanguis Christi, vt dicit illo art.3. quodl.10.ad secundum. Si vero vinum non consecratum vino consecrato misceretur, & ambò essent dissimilium qualitatum, ita vt sic adinuicem alterarentur; vt neutrum ipsorum esset ampliùs hoc vinum, sed aliud vinum: tunc quia destruerentur species Sacramentales *pertingeret enim Vinum non consecratum ad totum vinum consecratum, & fieret permistio, & vinum consecratum esset aliud numero, non remanebit ibi Sanguis Christi*, vt loquitur S. Doctor in cor. art. 8. quæst. 77. 3. p. *quod enim hoc modo est commistum ex duobus, neutrum miscibilium est, sed transit in quoddam tertium ex his compositum; vndè sequitur quod vinum prius existens non remaneret*, prout S. Tho. paulò antea docuerat.

186 Ex dictis facile est Argumentis Aduersariorum Satisfacere; nam assertus Græcorum mos, dictum Innocentij III. Cap. *Cum Marthæ*, & dispositio antiqui Ordinis Romani, quorum authoritate probatur Vino consecrato Vini non consecrati mistio, sine eo quod desinat ibi esse Sanguis Christi, intelligenda sunt cum hac limitatione, dummodò, scilicèt, species per talem mistionem non destruantur, quod S. Thomas etiam docet, & nemo est qui hoc non admittat.

187 Ad Argumentum Suarezij dicimus docuisse S. Thomam in art. 3. illius quodl. quod si per additionem species non destruantur, sed solum tollatur terminatio dimentionum, non desinere sub eis esse sanguinem Christi, sicut nec per diuisionem, per quam fiunt duo indiuidua; si verò per additionem destruantur species mo-

do explicato, desinere docuit S. Tho. esse sub eis sanguinem Christi; tunc autem illud tertium vinum, ne dum esset aliud indiuiduum, sed esset aliud specie à prioribus consecrato, & non consecrato, sicut mistum est aliud specie ab his, ex quibus miscetur, miscibilibus corruptis.

***



Ad

XVIII.

1 *Ad perficiendum Sacramentum non requiritur in ministro mentalis intentio, sed sufficit intentio faciendi actiones externas, quas Christus instituit.*

2 *Ad perficiendum Sacramentum non sufficit in ministro intentio faciendi actiones externas, quas Christus instituit, sed requiritur etiam intentio interna faciendi, quod facit Ecclesia.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Ad perficiendum Sacramentum non requiritur in ministro mentalis intentio, sed sufficit intentio faciendi actiones externas, quas Christus instituit.

188 

THOMAS 4. d. 6. quæst. 1. art. 2. q. 1. ad secundum sic ait. *Alij dicunt quod in Baptismo, & in alijs Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta, ideò si forma seruetur, nec aliquid exterius dicitur, quod*

quod intentionem contrariam exprimat, Baptizatus est. Non enim sine causa in Sacramentis necessitatis, scilicèt, Baptismo, & quibusdam alijs, actus Baptizantis tam solicitè expressus est ad intentionis expressionem, & hoc quod dicit de aliorum sententia, videtur S. Doctorem etiam approbare, prout patet ex 3. p. quæst. 64. art. 8. ad secundum vbi idem paucis immutatis repetit per hæc verba, *& ideò alij meliùs dicunt quod minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cuius est minister. In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis Sacramentum.*

Cum verò S. Thomas in articulis adductis ex 4. sent. & ex 3. p. excepta illa resp. ad secundum dixerit oppositum, quidam putauerunt S. Doctorem mutasse sententiam, sed Adrianus adductus à Soto 4. d. 1. quæst. 5. art. 8. Catherinus adductus à Card. Bellarm. Tomo 3. Cont. de Sac. in gen. cap. 27. Vasquez adductus à Card. Lugo de Sac. disp. 8. sec. 4. & alij existimant S. Thomam in sententia negante in ministro mentalem intentionem dum confert Sacramentum semper fuisse constantem inter quos fuit etiam recens Ioannes Marius Scribonius in summa Theologica. Suarez vero Tomo 3. 3. p. in Comment. illius art. 8. q. 64. dixit Textum S. Thomæ esse obscurum, & difficilem, ac faciliùs, & clariùs illi doctrinæ accomodari, si in cortice tantum inspiciatur.

***

Con-

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita.

Ad perficiendum Sacramentum non sufficit in ministro intentio faciendi actiones externas, quas Christus instituit, sed requiritur etiam intentio interna faciendi, quod facit Ecclesia.

189 HAnc Conclusionem fuisse definitam in Conc. Florentino & postea in Trident. dixit Suarez vbi supra disp. 13. sec. 2. §. *Secundò principaliter*, & probat præcipuè ex Tridentino sec. 7. Can. 11. vbi putat anathematizari eos, qui hanc internam intentionem ministri negant; affert etiam Cap. 9. sec. 14. vbi Concilium declarat absoluentem sine intentione absoluendi nihil facere; quod postea Can. 9. definiuit, creditque hanc definitionem esse vniuersalem ad omnia Sacramenta & explicare priorem Concilij doctrinam sec. 7. traditam, quapropter, inquit, contrariam sententiam non posse iam tutò defendi; nec sine errore. Soto vbi supra eam vocat reprobatam, Bellarm. & Lugo vbi supra sec. 2. n. 15. dicunt ad hæreticorum errorem accedere, vel ab eo non multum distare, sed Card. Pallauic. in sua Historia Conc. Tridentini lib. 9. Cap. 6. n. 2. refert illam sententiam à dicto Concil. non fuisse expressè reprobatam.

S.Tho-

S. Thomæ doctrinæ veritas.

150 DE intentione interna ministri actuali, seu virtuali, quam S. Thomas in responsione ad tertium art. 8. quæst. 64. 3. p. vocat habitualem, vt communiter dicitur, & probare intendit Caiet. ibi(Attamen S. Doctor de charit. quæst. 1. art. 11. ad tertium virtualem intentionem distinxit ab habituali, vtriusque rationem explicando) loqui possumus dupliciter, primo de intentione conferendi effectum Sacramenti, qui est character, & gratia, secundo de intentione conferendi Sacramentum. Vtramque intentionem putant aliqui S. Thomam in ministro necessarium existimasse; sed dicendum est tantum posteriorem in ministro exegisse, non verò primam; & quamuis dixerit in illo art. 8. 3. p. in corp. *oportet quod determinetur (scilicet ablutio) ad vnum, idest ad Sacramentalem effectum, per intentionem abluentis*, tamen per Sacramentalem effectum intellexit ipsum esse Sacramenti, qui est effectus ministri intendentis facere quod facit Christus, & Ecclesia; & ità interpretatus est Soto loco cit. S. Thom. neque vnquam sensit eum voluisse characterem; seu gratiam pendère ab interna ministri intentione, vt patet legenti, quicquid Suarez vbi supra in Com. illius art. 8. quæst. 64. 3. p. dixerit in contrarium.

191 Posteriorem verò intentionem, scilicet, internam, & mentalem faciendi Sacramentum, S. Tho. perpetuò docuit necessariam esse in ministro, non quidem in actu signato, dicendo v. g. intendo facere, &c. in quo sensu loquitur in 4. in illa responsione ad secundum si ibi mentalem intentionem negauit; dum in aliorum sententia loqueretur, sed in actu exercito; dum mens actualiter attendit ad ea, quæ sunt consecrationis v. g. seu ad cætera, quæ enumerat Caietanus 3. p. vbi supra nec Antiqui, vt Paludanus, & Durandus, oppositum S. Thomam sensisse tradunt, vt aduertit Soto vbi supra. Ipse

se S. Doctor pluribus suæ doctrinæ locis hanc internam intentionem euidentèr in ministro requirit vt validum conferat Sacramentum. Præter ea, quæ docuit in 4. loco citato & alibi sæpius, legendus est in illo art. 8. quæst. 64. 3. p. vbi in corp. dicit per intentionem ministri determinari ablutionem ad effectum Sacramenti, ad primum dicit ministrum esse instrumentum animatum in quo requiritur intentio se subijciendi principali agenti, scilicet, faciendi, quod fecit Christus, & Ecclesia ad 3. dicit Baptizantem intendere debere facere quod facit Ecclesia, art. 9. ibidem ad primum dicit ministrum etiam infidelem verum conficere Sacramentum, si intendat facere, quod facit Ecclesia; hoc autem idem est ac si diceret, quod fecit Christus; de quo nullum dubium esse potest habuisse mentalem in-
192 tentionem. Item art. 10. eiusdem quæst. in cor. dicit intentionem ministri peruersam esse duplicem, vnam, qua vult conferre Sacramentum ad malum finem, & hanc non tollere veritatem Sacramenti, alteram, qua non vult conferre Sacramentum, & hanc tollere veritatem Sacramenti, inquiens; *præcipuè cum intentionem suam exteriùs manifestat*. Vbi notandum est illud *præcipuè*, quo ostendit S. Tho. vitiari Sacramentum ex defectu internæ intentionis ministri nolentis conferre Sacramentum, & *præcipuè* dum huiùs intentionis defectum exteriùs manifestat, vel actione, vel verbis; tunc enim nulla potest esse dubitatio apud homines, quibus interna intentio nota esse non potest nisi externis fiat manifesta, ministrum ex intentione peruersa nullum contulisse Sacramentum: Videndus etiam S. Thomas in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. q. 3. ad primum & op. 5.

193 Tota difficultas apud quosdam inuenitur in illis responsionibus S.Tho. ad secundum in 4.sent. & 3. p. locis à principio hic adductis, ita vt Suarez in Com. præfato interpræt ationem Caietani, qua responsionem ad secundum 3. p. explicauit, piam dixerit, & nunquam adimi scrupulum, si rigorosè verba litteræ S. Thomæ sint perpendenda, & explicanda.

194 Duo difficilia, vt Suarez exiſtimauit, dixit S.Tho.in illa reſp. ad ſecundum 3.p. Primum eſt, quod admitti poſſit, deficiente intentione miniſtri, Chriſtum ſupplere vltimum effectum Sacramenti, qui eſt iuſtificatio à peccatis; non verò effectum characteris, quia hic non imprimitur niſi per Sacramentum, & hoc tam in pueris, quam in adultis, ſecundum eſt, quod indicat in illa reſp. ad ſecundum ſi deſit interior intentio miniſtri faciendi Sacramentum; dummodò exterius materiam, & formam ſine vllo defectu applicet, verè fieri Sacramentum ex intentione Eccleſiæ, quod, inquit Suarez, eſt contra veram, & ſanam doctrinam.

195 Primum S.Tho. nullo modo admiſit in infantibus, immò reiecit, vt patet 3.p. in Textu vbi ſupra, & ſequenti q. 67. art. 3. ad tertium. De adultis verò dixit in eis ſuppleri ex deuotione iuſtificationem à peccatis, quam per Sacramentum recepiſſent, hoc eſt, gratiam, ſed iuxtà eorum diſpoſitionem, vt Soto in Textu S.Tho. exprimi declarauit, & illum legenti palàm fiet. Vel dicere poſſumus cum Caietano ibi S.Thomam illam ſecundam opinionem, quam refert in reſp. ad ſecundum repræhendiſſe; quia non poteſt ſaluare ſupplemẽtum characteris.

196 Secundum S. Tho. nec quidem ſomniauit, inquit idem Soto, cui ſicut, & Caietano, & poſtea Bellarmino, Nugno, Siluio, alijſque clariſſimis Theologis adeo plana, & aperta viſa eſt doctrina S.Thomæ in illa reſp. ad ſecundum vt dixerint in ipſa littera euidentèr eum aſſerere internam miniſtri intentionem eſſe omninò neceſſariam ad hoc vt fiat Sacramentum.

197 Quod ſic oſtenditur, ibi S.Tho. ad argumentum quod probare intendebat non eſſe neceſſariam internam miniſtri intentionem; quia hæc non poteſt eſſe homini nota, & conſequentèr ſi iſta intentio miniſtri requireretur ad perfectionem Sacramenti, non poſſet homini accedenti ad Sacramentum eſſe notum Sacramentum ſuſcepiſſe, & ita non poſſet habere certitudinem ſalutis. Reſp. *Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cuius eſt miniſter. In verbis autem, quæ profert, exprimitur*

in-

intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exteriùs exprimatur ex parte ministri, & recipientis Sacramentum. His verbis satisfacit argumento declarando quomodò possit esse nota interna intentio ministri accedenti ad Sacramentum; non quidem secundum certitudinem absolutam; quia quamuis intentio interna ad perfectionem Sacramenti simpliciter requiratur per S.Thomam, vt patet præcipuè in articuli illius corp. ex consueto tamen more, qui reuelationem non importat, suscipienti nota esse non potest, sicut nec ministro interna intentio suscipientis, quæ etiam requiritur in adulto, vt dixit S.Tho. 3.p.q.68.ar. 7. ad secundum; sed secundum certitudinem humanam, secundum quam potest homo viator de sua salute aliqualiter certitudinem habere; cum absolutam citrà reuelationem habere non possit ex Conc.Trid. sess.6. Can. 16. & ita etiamsi homo non sit certus de perfectione Sacramenti simpliciter; quia ei nota non est interna ministri intentio; est tamen certus de perfectione Sacramenti secundum certitudinem humanam, si per ministrum exprimatur in verbis Ecclesiæ intentio, & nisi contrarium exteriùs idem minister exprimat; & hoc sufficit, ait S.Tho. ad tollendam omnem hæsitationem in suscipiente, quia maiorem notitiam humanam de ministri intentione interna habere non potest. Si verò S.Tho. loqueretur de Sacramenti perfectione absoluta, dum dicit *Si exprimantur verba per ministrum, id sufficere ad perfectionem Sacramenti, nisi ex parte ministri contrarium exteriùs exprimatur*, ne dum destrueret doctrinam in cæteris illius articuli partibus traditam, quod non est verisimile, vt dixit Suarez, & est incredibile, vt dixit Lugo; sed insuper diceret inter se repugnantia, vt benè aduertit Bellar. scilicet quod conficeretur, & non conficeretur Sacramentum; nam si ad perfectionem absolutam Sacramenti sufficit externa prolatio verborum; ergo etiamsi minister exteriùs voce, vel actione exprimat se non habere intentionem internam conficiendi Sacramentum, adhuc per S. Tho.

 confi-

conficeret Sacramentum; quia si aliàs proferentur verba, internæ intentionis defectus tunc in eius sententia non tolleret perfectionem Sacramenti; quia fieret à ministro, quod secundum ipsum sufficeret ad perfectionem Sacramenti, & tamen secundum ipsum talis minister non conficeret Sacramentum, quia exteriùs exprimeret, interiùs se habere contrariam intentionem, in quo casu externam prolationem verborum ipse dixit non sufficere ad perfectionem Sacramenti.

198 Confirmatur à Lugo sic, S.Tho. inquit, non perfici Sacramentum per externam prolationem verborum, si ex parte ministri, vel recipientis Sacramentum contrarium exteriùs exprimatur. Ergo sentit idem iudicium ferendum esse de suscipiente, & de ministro, quod immerito negat Vasquez in 3.p. disp. 138. n.44. sed in suscipiente, si sit adultus, apud S. Tho. 3.p. q.68. ar. 7. ad secundum requiritur interna intentio; ergo & in ministro;& consequenter sicut si ex parte suscipientis adulti aliquid internæ intentioni contrarium exprimeretur vel non exprimeretur exteriùs, ex defectu intentionis internæ secundum S.Tho. nullũ iste reciperet Sacramentũ. Ergo simili modo, si ex parte ministri exprimeretur* aliquid internæ intentioni contrarium exteriùs, ex defectu intentionis internæ etiam iste de mente S.Thomæ nullum conficeret Sacramentũ Cardinali Lugoni vbi supra n.65.

*vel non exprimeretur

199 Caietani, cæterorumque insignium Doctorum quos supra congessimus interpretatio litteræ S. Tho. qua volunt illum loquutum fuisse de perfectione Sacramenti non absoluta, sed secundum humanam certitudinem, non satisfacit; facit enim vim in eo, quod S.Tho. profitetur se loqui de perfectione Sacramenti simpliciter prolata, quod non videtur interpretari posse nisi de absoluta perfectione, existimata enim perfectio, quæ est secundum humanam certitudinem, non venit nomine perfectionis sine addito prolato; propterea si S.Th. de existimata perfectione loqui voluisset, dixisset ad perfectionem existimatam Sacramenti sufficere verborum prolationem. Relicta ergo præfata interpratatione, ipse Lugo putat S. Thomam ibi loqui de intentione expres-

pressa, & explicita ministri, quam negat requiri ad perfectionem Sacramenti; sed vult sufficere implicitam intentionem, qua si minister intendat verba proferre, & operari iuxtà intentionem Ecclesiæ, inquit, apud S.Tho. hanc intentionem sufficere ad perfectionem Sacramenti, dummodo in forma, vel actione minister non exprimeret aliquid, quod destrueret intentionē Ecclesiæ.

200 Sed hæc Lugonis interpræratio est à mente S. Thomæ omninò aliena; nam quamuis doctrina hæc vera sit, & à S. Doctore tradita in illa resp. ad 3. tamen apta non est ad soluendum illud argumentum; quod S. Doctor sibi obiecerat in 4. sent. & in 3.p. locis supra citatis; petebat enim argumentum vt declararetur quomodò nota esse posset Sacramentum suscipienti mentalis intentio ministri, vt illi notum esse posset Sacramentum suscepisse; si S.Thomas respondisset duplicem esse intentionem, implicitam, scilicet, & explicitam nihil pro soluenda obiecta difficultate dixisset ad rem, cum vtraque intentio sit interna, & consequenter æquè ignota suscipienti etiamsi in actu exercito manifestaretur, dum minister diceret, ego intendo &c. Nam tunc etiam dubitari posset vtrum haberet in mente, quod exprimebat in voce. Declarandum ergo erat à S. Thoma vt argumento satisfaceret, quomodo cum defectu notitiæ internæ intentionis cuiuscumque ministri poterat esse certitudo in suscipiente recepisse Sacramentum, & soluit dubium egregie, dum dixit, cum defectu illius notitiæ benè stare posse humanam certitudinem aptam ad tollendam in suscipiente prudentem hæsitationem, quia ad perfectionem Sacramenti secundum humanam certitudinem, si minister exteriùs contrarium non exprimeret, sufficit verborum prolatio, in quibus exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ interpræratio est litteræ S. Thomæ adæquata, & propria; ideoque tot Doctoribus egregijs satisfecit; eamque Siluius oratione quarta, quæ in fine opusculorum eius habetur impressa, egregie prosecutus est, dum Ioannem Mariam Scribonium de S. Thomæ sententia non recte sensisse demonstrat.

Si

XIX.

1 *Si etiam per errorem aliquis non baptizatus Sacerdos, vel Episcopus ordinaretur, piè creditur quod in ordinatis, & absolutis ab ipso Deus suppleret defectum quantum ad effectus Sacramentorum.*

2 *Si etiam per errorem aliquis non baptizatus promoueretur ad Sacerdotium, vel Episcopatum, nullum conficeret Sacramentum ex ijs, quæ per huiusmodi ordines conficerentur:*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S.Thomæ attributa.

Si etiam per errorem aliquis non baptizatus Sacerdos, vel Episcopus ordinaretur, piè creditur quod in ordinatis, & absolutis ab ipso Deus suppleret defectum quantum ad effectus Sacramentorum.

ITA

201 
TA S Th.4.diſt.24. quæſt.1.ar.2. qu.3. ad 2. per hæc verba *quia talis (ſcilicet, nõ baptizatus etiã probabiliter exiſtimatus baptizatus) ſi ad Sacerdotium promoueretur, non eſt Sacerdos, nec conficere poteſt, nec abſoluere in foro pœnitentiali; vnde ſecundum Canones* (1. qu.1. cap. *Si quis confugerit*. Cap. *Si quis ignorauerit*. Cap. *Si quis Presbyter) debet baptizari iterato, & ordinari, & ſi in Epiſcopum promoueatur, illi, quos ordinat, non habent ordinem; ſed tamen piè credi poteſt quod quantum ad vltimos effectus Sacramentorum ſummus Sacerdos ſuppleret defectum, & quod non permitteret hoc ita latere, quod periculum Eccleſiæ imminere poſſet*, ex quibus verbis deduxit Angelus in ſumma, verbo Baptiſmus 7.num.12. S.Thomam docuiſſe non baptizatum, ſi ad Sacerdotium, vel Epiſcopatum promoueretur, conficere Sacramenta, quæ per tales ordines conficiuntur, non in virtute ſua, ſed Eccleſiæ, Siluius 3.part. quæſt. 68. art. 2. ad 4. inquit S.Tho. ab hac ſententia receſſiſſe. Soto in 4.diſt.5. quæſt. vnic. art.2. ait S. Thomam illa diſt. 24. locutum ſecundum communem aliorum opinionem, quam certè in ſumma non ſuſtinuiſſet; & diſt.24. quæſt. 1. art 4. ad 3. inquit. *Quo circa non dubito quin S.Th. in ſumma nunquam tale verbum dixiſſet; eſt enim dicere, quod Deus peccatorem ſine Sacramento, & contritione viuificaret, quod eſſet manifeſtarius error*. Confirmatur ex 3.p. quæſt. 64. art. 8. ad 2. quod adduximus in ſuperioris Concluſionis initio.

Con-

Conclusio, quæ censetur S.Thomæ opposita.

Si etiam per errorem aliquis non baptizatus promoueretur ad Sacerdotium, vel Episcopatum, nullum conficeret Sacramentum ex ijs, quæ per huiusmodi ordines conficiuntur.

202 HÆc Conclusio est certa de fide, definita in Conc. Florentino, vbi baptismus dicitur ianua Sacramentorum; ex quo patet nullum Sacramentum recipi posse ab eo, in quo non præcesserit character Baptismi, & idem habetur Cap. *Veniens* de Presbytero non baptizato; vbi adducitur Canon Concilij apud Compendium, qui ibidem habetur Cap. *si quis Presbyter*; Deum verò defectum illum supplere, vt docet S. Tho. cum nec legi, nec authoritati innitatur, nullum habet credulitatis fundamentum: quapropter communiter ab omnibus tanquam falsum reijcitur. Ita quidam Doctores loquuntur.

S.Thomæ doctrinæ veritas.

203 NVnquam S. Th. docuit non baptizatum ad Sacerdotium, vel Episcopatum promotum regularitèr illorum ordinum conficere Sacramenta in virtute Dei, seu Ecclesiæ, hanc sententiam illi Angelus falsò attribuit, vt dixit Siluester in Sum. Verbo *Baptismus* VI. nu. 3. & Barbosa in Collect. ad illud Cap. *Veniens* nu. 2. ideoq; ab hac sententia recedere non indigebat, vt

vt Siluius, & Soto existimarunt, cum in ea nunquam fuisset.

204 Nec in illa responsione ad secundum vllo modo dictæ sententiæ adhæsisse suspicari potest, si in intento ab eo sensu eius verba fuerint interpretata, secundum argumentum probare nitebatur in casu, quo non baptizatus Presbyter nihil faceret dum consecraret, vel absolueret, Ecclesiam decipi, quod esset maximum inconueniens. Respondet S. Tho. concedendo, quod nihil faceret consecrando, vel absoluendo, *sed*, ait, *piè credi potest, quod summus Sacerdos quantum ad vltimos effectus Sacramentorũ suppleret defectum.* Certè S. Tho. per vltimos effectus Sacramentorum non intellexit veri Sacramenti confectionem, nec voluit ordinis characterem, seu absolutionem in Foro Pœnitentiali suppleri in illo casu virtute Dei, vel Ecclesiæ; quia in eius sententia talis Presbyter non baptizatus in illo Foro absoluere non posset, & ordinati ab Episcopo non baptizato, ordinati non essent. Intellexit igitur per vltimos effectus Sacramentorum iustificationem, vel gratiæ augmentum, quibus effectibus tales ordinati, vel absoluti non semper priuarentur; non quidem quia hos effectus reciperent virtute Sacramenti, & ex opere operato, sed ex fide illorum Sacramentorum, & ex opere operantis iustificationem, vel gratiam recipere possent, si aliàs contriti, & dispositi fuissent; cum à non baptizato absoluerentur, vel ordinarentur, quod innuit Azor. Inst. p. 2. lib. 3. cap. 4. §. *Primo quæritur*, & hic est defectus, quem dixit S. Th. piè credi posse à Summo Sacerdote suppleri, sicut dixerat 3. p. qu. 67. art. 3. ad tertium per contritionem suppleri defectus Sacramentalis absolutionis; & in 4. d. 17. qu. 3. art. 3. q. 2. ad primum, dum de confessione facta Laico loqueretur, per hæc verba. *Sed quando necessitas imminet, debet facere pænitens, quod ex parte sua est, scilicèt, conteri, & confiteri, cui potest, qui quamuis Sacramentum perficere non possit vt faciat id, quod est ex parte Sacerdotis,*

absolutionem, scilicèt, tamen defectum Sacerdatis Summus Sacerdos supplet, nihilominus confessio Laico ex desiderio Sacerdotis facta Sacramentalis est quodammodò; quamuis non sit Sacramentum perfectum, quia deest ei, quod est ex parte Sacerdotis; & per hæc verba S. Tho. satisfecit Argumento, dum negauit non sequi illud inconueniens, scilicèt, quod Ecclesia deciperetur, si Presbyter non baptizatus nihil faceret, dum consecraret, vel absolueret, nam adhuc absoluti supradictos effectus, quos effectus vltimos Sacramentorum appellauit, consequerentur, si alias essent ad illos recipiendos dispositi, ita supplente Summo Sacerdote Presbyteri, seu Episcopi non baptizati defectum. Vndè patet malè Soto deduxisse ex S. Thomæ verbis sequi peccatorem sine Sacramento, vel contritione iustificari posse; quamuis enim vt supra absoluti, si iustificarentur, vtiq; sine Sacramento iustificarentur, non verò sine contritione, quæ suppleret ex parte subiecti defectum Sacramentalis absolutionis, vt dictum est, nec sine proposito recipiendi illud Sacramentum, vt dixit S. Th. 4. d. 23. q. 1. ar. 2. q. 1. ad primum his verbis. *Quamuis effectus principalis alicuius Sacramenti possit haberi sine actuali perceptione illius Sacramenti, vel sine Sacramento, vel per aliud Sacramentũ ex consequenti; nunquam tamen potest haberi sine proposito illius Sacramenti.*

205 Sciendum prӕterea est S. Thomam ad tollendum omne periculum deceptionis ab Ecclesia in casu, de quo loquimur, dixisse ne dum piè credi posse, quod Deus defectum suppleret, sed etiam, *quod non permitteret hoc ita latere, quod periculum Ecclesiæ imminere posset*; vbi innuit in dicto casu recurrendum esse ad specialem Dei prouidentiam, qua modis etiam peculiaribus, & extraordinarijs solet aliquandò imminentibus Ecclesiæ periculis obuiare, præcipuè, vel detegendo, quod latet, vel supplendo defectus: Deum sine Sacramento effectus Sacramentorum causare posse, & aliquandò causare certa res est, nec S. Thomæ ignota,

vt

206 vt apparet ex 3. p. q. 64. ar. 7. vbi concedit per Angelos bonos aliquandò Sacramentales effectus fuisse causatos, & hoc accidisse in persona S. Amphilochij ab Angelis in Episcopum consecrati narrat Nicephorus Hist. lib. ij. cap. 20. Potuit ergo S. Tho. dicere piè credi posse Summum Sacerdotem Deum ad auertendum ab Ecclesia illud periculum imminens deceptionis, præter alios modos suæ sapientiæ notos, etiam aliquando insolito modo præstare Sacramentorum effectus sine Sacramentis, supplendo sua potestate defectum ministri, quod ad argumentum propositum soluendum etiam esset idoneum, sed quia casus iste rarissimus est, persistendum est in priori S. Thomæ mentis expositione.

Ad confirmationem desumptam ex 3. p. q. 64. ar. 8. ad secundum iam satisfecimus in superiori Conclusione.



XX.

1 *Imago Christi est adoranda adoratione latriæ.*

2 *Imago Christi non est adoranda adoratione latriæ.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio Sancti Thomæ.

Imago Christi est adoranda adoratione latriæ.

207 TA S. Tho. 3. d.9.q. 1.art. 2. q. 2. c. vbi sic ait. *Et quia idem motus est in imaginem in quantum est imago, & in imaginatum; ideo vnus honór debetur imagini, & ei, cuius est imago: Igitur cum Christus adoretur latria, similiter & eius imago*, 2.2. q. 94. ar. 2. ad primum iterum sic dicit. *Secùs autem est de imagine Christi, cui ratione diuinitatis latria debetur*. Item 3. p. q.25. ar. 3. c. sic ait. *Cum ergo Christus adoretur adoratione latria, consequens est quod eius imago sit adoratione latria adoranda*, & ad secundum sic dicit. *Nos autem adoramus adoratione latria Imaginem Christi, qui est verus Deus, non propter ipsam imaginem, sed propter rem, cuius imago est.*

Con-

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita.

Imago Christi non est adoranda adoratione latriæ.

208 NAm Patres congregati in VII. Synodo act. 2. post Epistolas Adriani Papæ, ita dixerunt. *Imaginum picturas recipimus, & has desiderio nostro adoramus &c. sed apertis verbis testamur nos, dumtaxat in vnum Deum verum latriam, hoc est, cultum, & fidem nostram referre, & reponere*, & act. 6. dixerunt iterum, *sic & hi mentes muliebres decipiunt dicentes, quod si quis adorauerit imaginem Domini &c. is in spiritu latriam illi exhibet: Cauete ne decipiamini oratione istorum: Cauete ne dolosa labia vos seducant*, & act. 7. sic etiam dicunt, *maximè autem imaginem Domini, & Dei Seruatoris nostri Iesu Christi &c. & honorariam adorationem exhibeant; non tamen secundum fidem nostram veram latriam, quæ solùm diuinæ naturæ competit, sed quemadmodum &c.* idem legitur alibi in eadem Synodo.

Hæc Patrum illorum definitio in dicta VII. Synodo emanata, adeo visa est opposita doctrinæ à S. Tho. supra traditæ, vt multi putauerint S. Doctorem illius Synodi acta non vidisse; si enim ea vidisset, inquiunt, adorationem latriæ imagini Christi Domini nunquam tribuisset.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

209 SEd adeò vera est S. Thomæ doctrina supra tradita apud Sapientes, vt dixerit Suarez Tomo p. in 3. p. disp.

disp. 54. sect. 4. *Ego valdè probabile existimo D. Thomam non vidisse* VII. *Synodum, cum eius mentionem non fecerit; quod si vidisset, non mutasset quidem sententiam, nec fortasse loquendi modum, cum simpliciter verus sit; exposuisset tamen* VII. *Synodum, suamque sententiam cum modo loquendi illius conciliasset.*

210 Habemus ergo ex Suarez sententiam præfatam S. Thomæ veram esse, & modum eius loquendi verum esse simpliciter; dato etiam quod VII. Synodum non vidisset, si eam vidisset, nihil se dixisse, quod illi aduersaretur, comperisset, sed tantum suam sententiam cum modo loquendi illius conciliasset, quam conciliationem ego ex doctrina Sancti Thomæ facile haberi posse puto: nam quod Imago Christi secundum quod res quædam est, & propter ipsam imaginem, adoranda non sit adoratione latriæ, conuenit S. Doctor cum synodo expresse; nam 3. c. g. cap. 17. inquit. *A sanctis latriæ seruitus non nisi verò Deo exhibetur; dicitur enim Deut. 6. Deum tuum timebis, & illi soli seruies*, & post pauca, *hoc de seruitute latriæ intelligendum est, quæ soli Deo debetur; est igitur Spiritus sanctus verus Deus, cui latria debetur*, & super Cap. 3. ad Coloss. lect. 1. dixit *Idolatria est quando quis exhibet alicui Imagini honorem Deo debitum*, & 2. 2. quæst. 94. art. 2. ad 1. ait. *Neque etiam nunc imagines in Ecclesia instituuntur, vt eis cultus latriæ exhibeatur*. Immò sicut VII. Synodus dicit act. 3. se non constituere honorem Imaginis in materia, aut coloribus, ita S. Tho. 3. part. quæst. 25. art. 2. negat Imagini Christi in quantum est lignum sculptum, vel pictum, omnem reuerentiam. In eo verò quod S. Doctor inquit ibidem, imagini in quantum est imago, hoc est, in quantum motus, qui est in imaginem, est vnus, & idem cum motu, qui est in imaginatum, deberi eundem cultum, qui debetur imaginato; & consequenter cum Christo, qui est verus Deus, debeatur cultus latriæ, etiam eius imagini, vt imago est, modo explicato,

ro, debeatur cultus latriæ, conciliari debet hæc eius ſententia vera cum modo loquendi VII. Synodi, quæ negat latriam Imagini Chriſti. Conciliatio, meo iudicio, hæc erit; ſynodus negat latriam Imagini, qua fides refertur, & reponitur in imagine, vt dicit act. 2. hæc enim latria competit ſolum diuinæ naturæ, vt dicit act. 7. ſed non negat cultum latriæ exhibitum Imagini Chriſti propter Chriſtum, cuius eſt imago, & non propter imaginem; quod docet S. Doctor 3. part. vbi ſupra ad 2. nam inquit Synodus act. 7. *Imaginis enim honor in prototypum reſultat, & qui adorat Imaginem, in ea adorat quoque deſcriptum argumentum.* Si ergo deſcriptum argumentum eſſet Chriſtus, adoranda erit ex ſententia Synodi imago eius adoratione, quæ debetur Chriſto, qui in imagine adoretur; hæc autem eſt latria: ſynodus ergo, & Doctor ſanctus conueniunt in negando latriam, quæ ſolum diuinæ naturæ competit, imagini Chriſti propter imaginem, quia fides noſtra reponeretur in imagine: ſed conueniunt in aſſerendo eumdem cultum deberi imagini, & imaginato, ſi in imagine vnico, eodemque motu adoratur imaginatum. Si ergo imaginatum erit Chriſtus verus Deus, Synodus quoque cum S. Tho. dicet adorandam eſſe Imaginem Chriſti adoratione latriæ; quia latria debetur Chriſto, qui in Imagine adoratur; quod igitur Synodus cum S. Tho. denegat Imagini propter imaginem, S. Thomas cum ſynodo concedit Imagini propter Imaginatum: Ille enim, qui Imaginem Chriſti adorat, adorat quoque in eadem Imagine Chriſtum repræſentatum in eius Imagine; eſt ſimile deductum ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 5. & Can. 6. ibi Concilium definiuit Sacramentum Euchariſtiæ eſſe adorandum adoratione latriæ, hoc eſt ſpecies, quæ ſunt Sacramentum tantum, quia continent corpus Chriſti; ergo & Chriſti Imago adoranda erit adoratione latriæ; quia obiectiuè Chriſtum præſentem exhibet.

211 His noſtris dictis plurimum fauet Suarez vbi ſupra, dum

dum ait. *In re nulla est diuersitas inter sententiam Concilij, & D. Thomæ; nam D. Thomas solum considerauit vnitatem motus, seu actionis; & ideo dixit eadem adoratione latriæ, qua colitur Christus, adorari imaginem eius, quod verum est, quia est vnus indiuisibilis actus: hanc autem vnitatem adorationis non prætermisit Concilium, vt vidimus; quia tamen illamet vnica adoratione aliter adoratur exemplar, & aliter imago, illud per se primo, & propter se, hæc concomitanter, & propter aliud: ideò adorationem illam sub nomine latriæ simpliciter dictæ retulit ad solum exemplar; respectu verò imaginis dicit esse inferiorem adorationem.* In eodem sensu exponunt S. Thomam Capreolus super illam dist. 9. Tertij sent. & Gaietanus 3. part. vbi supra, quos sequuntur Bellarmin. de Reliquijs Sanctorum Lib. 2. Cap. 23. alijque sapientissimi moderni.

212 Confirmatur hæc explicatio ex ipsius S. Doctoris mente; nam 2.2. quæst. 99. art. 3. habemus sacras Imagines secundum locum tenere post personas Sacras, & Sacramenta. Ergo de mente S. Thomæ imaginum cultus est inferior cultu debito illis rebus sacris. Item su-
213 per cap. 11. ad Heb. dum lect. 5. interpretatur illud Gen. 4. iuxtà versionem LXX. *Adorauit fastigium Virgæ eius.* Hæc dixit S. Tho. *Si adoratur fastigium, idem est sensus, quia adorauit Christum significatum per virgam illam, sicut & nos adoramus Crucifixum, & Crucem ratione Christi passi in ipsa. Vndè propriè non adoramus Crucem, sed Christum crucifixum in ipsa.* Ergo iuxta S. Thomam Crucis, & Imaginis adoratio non est propriè sicut adoratio Crucifixi, & imaginati; quamuis sit eadem adoratio, quia imaginatum adoramus propter se, imaginem verò ratione imaginati. Idem significat adductum exemplum à simili de veneratione quam S. Thomas 3. part. cit. art. 4. attribuit vestimento Regis, quod eadem veneratione colitur, qua Rex, sed inferiori, & propter aliud.

Ba-

214 Baronius anno 787. refert veteres Doctores Scholasticos, ad quorum manus adhuc non peruenerant Acta VII. Synodi, deceptos fuisse ab aliquibus, qui testabantur Synodum decreuisse Imagines Christi esse adorandas latria; propterea hanc adorationem dictis Imaginibus Doctores illos tribuisse in sensu catholico supra expresso, vt Decretum Synodi propugnarent: ideoque illum sensum secutum fuisse S. Thomam, quem acta synodi non vidisse putat. Veruntamen actis Synodi minimè repugnantem sensum S. Thomam retinuisse docent insigniores Scholastici, qui viderunt Acta Synodi, & etiam moderni, ijdemque nouissimi, vt patet ex dictis.



XXI.

1 *Anima Christi Domini in triduo mortis suæ non descendit ad omnia loca inferni.*

2 *Anima Christi Domini in triduo mortis suæ descendit ad omnia loca inferni.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ.

Anima Christi Domini in triduo mortis suæ non descendit ad omnia loca inferni.

215 

TA S. Tho. in 3. d. 22. q. 2. ar. 2. q. 1. ad Anib. ibidem ar. 4. & 3. p. qu. 52. art. 2. vbi sic ait. *Alio modo dicitur aliquid esse alicubi per suam essentiam, & hoc modo anima Christi descendit solum ad locum inferni, in quo Iusti detinebantur &c. sic autem in vna parte inferni existens, effectum suum aliqualiter ad omnes inferni partes deriuauit, sicut & in vno loco Terræ passus, totum mundum sua passione liberauit.*

Con-

Conclusio S. Thomæ opposita.

Anima Christi Domini in triduo mortis suæ descendit ad omnia loca inferni.

216 NAm si dicamus Animam Christi descendisse in inferno ad locum damnatorum tantum per effectum; possemus etiam dicere ad nullum locum inferni ipsum descendisse secundum præsentiam realem, sed ad omnia descendisse tantum per effectum; cum scriptura non distinguat loca, dum dicit Christum ad inferos descendisse; sed hic est error Durandi ab Ecclesia damnatus; repugnat enim Articulo Symboli Apostolorum *Descendit ad inferos*, qui significat descensum Animæ Christi ad inferos secundum realem præsentiam ex Cap. *Firmiter* de Sum. Trin. & fid. Cathol. quod colligitur etiam à S.Tho. in 3. vbi supra q. 1. ex illo Act. 2. *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni*, & 3. p. cit. ex illo Ephes. 4. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit prius ad inferiores partes Terræ*, hoc est, ad inferos secundum glos. Ergo dicendum est Christum descendisse ad omnia loca inferni, non per effectum, vt dixit S. Tho. sed per realem præsentiam. Ita Bellarm. Tomo p. contr. de Christo lib. 4. cap. 16.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

217 VEruntamen sententia S. Thomæ in priori Conclusione expressa est communis apud Scholasticos, vt ostendit Siluius 3. p. super illum ar. cit. quam S. Doctor in 3. vbi supra probauit authoritate Sac. Scripturæ; dicitur enim Lucæ 16. *Inter nos, & vos chaos magnum*

firmatum est, vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint. Illud vero chaos, inquit S. Th. *magis erat firmatum inter Christum comprahensorem, quam inter Sanctos, qui antequam ad ipsos Christus descenderet, erant in sinu Abrahæ non dum gloriam assecuti.* Idem S. Doctor colligit ex optima coniectura; nam, inquit, *nullus damnatus fuit aliquandò in Cælo; ergo nullus comprahensor debuit descendere ad loca Damnatorum.*

218 Quod verò doctrina præfata S. Thomæ faueat errori Durandi, falsum prorsùs est; nam dum S. Doctor docuit animam Christi Domini descendisse per realem præsentiam ad locum Iustorum, reiecit expresse errorem, in quem postea incidit Durandus, qui dicebat Christum Dominum ad Inferos per realem præsentiam non descendisse; de communi enim Theologorum consensu fidei dogma descensus Christi secundum presentiam realem ad inferos importat tantum eius descensum secundum realem præsentiam ad locum Iustorum. Cum autem arguitur, S. Tho. inquit, verificari descensum Christi ad inferos quantum ad locum Damnatorum, cum dicitur illum descendisse tantum per effectum ad loca Damnatorum, ergo in eius sententia verificabitur etiam descensus Christi ad inferos, si dicamus eum ad omnia loca inferni descendisse per effectum tantum, etiamsi cum reali præsentia ad nullum locum inferni descendisset, negatur consequentia; arguitur enim ab esse simplicitèr adesse secundum quid; vt si dicerem, Petrus est secundum realem præsentiam Romæ, quia est in vna Domo Romæ &c. ergo est secundum realem præsentiam in omni Domo Romæ; Petrus enim qui est in vna Domo Romæ, est simpliciter per suam præsentiam Romæ, quamuis non sit secundum realem præsentiam in omni Domo Romæ, hoc enim se habet per accidens respectu Petri, ad hoc vt dicatur esse per præsentiam Romæ. Certum est S. Petrum fuisse secundum suam præsentiam Romæ, sed certum est etiam ipsum

non

non fuisse secundum realem præsentiam in omni loco Romæ: sicut ergo firmata hac certa Conclusione. S. Petrus fuit Romæ (quamuis, & alibi) in Carcere Mamertino secundum realem præsentiam; iam habemus Petrũ fuisse Romæ realiter præsentem, quia Carcer Mamertinus est in vna parte Vrbis Romæ; quamuis diceremus illum fuisse in Esquilino v. g. tantum per effectum; Ita firmata hac Cõclusione, Christus descendit in inferno ad locum Iustorum; satis superq; verificatur Christum Dominũ secundũ realem præsentiam ad inferos descendisse; quia locus Iustorũ erat in vna parte inferni, quamuis in cæteris inferni locis fuerit tantum per effectum.

219 Dices sacram traditionem, & Ecclesiasticã historiam designare plura loca præcisa, in quibus S. Petrus secundum realem præsentiam fuit Romæ; vndè negare non possumus Petrum Romæ secundum præsentiam realem non fuisse, quamuis non fuerit præsens in omnibus locis Romæ, sed Sacram Scripturam non designasse loca, ad quæ Christus in Inferno secundum realem præsentiam descenderit; Ergo possumus dicere Christum Dominum eodem modo ad omnia loca Inferni descendisse, vel ad singula secundum realem præsentiam, vel cum Durando ad singula per effectum tantum; nam vt vult S. Thomas, verificatur Christum Dominum ad inferos descendisse; si tantum per effectum ibi descenderit; ergo si quis diceret Christum Dominum ad nullum locum Inferni descendisse per realem præsentiam, quia ad locum, ad quem præsens descenderit Sac. Scriptura non dixit, adhuc verum esset in sententia S. Thomæ ipsum ad inferos descendisse, quod est contra fidem. Ergo dicendum est, vt verificetur Christum Dominum ad inferos descendisse, ipsum in omni loco Inferni præsentem fuisse.

220 Sed contra, nam descensus secundum realem præsentiam Christi ad Lymbum Sanctorum Patrum habetur in Sac. Scriptura iuxta Doctorum expositionem, & Scholasticorum sensum accepta; descendisse verò secundum rea-

realem præsentiam ad loca Damnatorum negant ijdem Doctores, & Scholastici communitèr, vt fatetur Suarez in 3. p. Tomo 2. disp. 43. sect. 4. qui opinionem Bellarmini de præsentia Christi ad omnia loca Inferni in triduo mortis suæ nouam apparere dicit, & alienam à communi sensu Scholasticorum, authoritates quoque Sanctorum à Bellarm. adductæ illius opinioni nullo modo fauent; & quamuis idem Suarez à temeritatis, & improbabilitatis nota satagat hanc opinionem vindicare; fatetur tamen probabiliorem esse sententiam S. Thomæ, ne dum propter dictum communem consensum Scholasticorum, verum etiam propter alias validas rationes, quibus eam confirmat. Immò idem sapientissimus Card. Bellarm. in recognitione librorum suorum, quæ addita est ad initium magni voluminis controuersiarum eius editi Coloniæ 1628. hæc quæ diximus, veritati consona esse cum animaduertisset, ne dum retractauit, quæ contra S. Thomæ sententiam scripserat prius, sed insuper eandem sententiam patrocinatus est egregiè; sic enim scripsit §. *Recognitio librorum de Christo*, lib. 4. cap. 16. §. *At probabile. Re melius considerata sequendam esse existimo sententiã S. Thomæ, quæ est, & aliorum Scholasticorum in 3. sent. dist. 22. præsertim cum testimonium Ecclesiastici, & Sanctorum Patrum, qui videntur affirmare Christum descendisse ad loca omnia Inferni, verificari possint etiamsi dicamus Christi animam non descendisse vltrà Lymbum Sanctorum Patrum; nam ex eo loco potuit apparere omnibus spiritibus, qui in varijs Inferni locis degebant, & alios terreri, alios consolari, prout expedire ipsi videbatur. Si enim diues ille Epulo ex loco damnationis videre potuit Lazarum in sinu Abrahæ, idest in Lymbo Patrum commorantem, & cum ipso Abraham sermones miscere, quantò facilius potuit Christus ex eodem Abrahæ sinu inspicere omnes partes Inferni, & ab omnibus spiritibus siue Purgatorij, siue gehennæ conspici, sic igitur penetrauit omnes inferiores partes vsq; ad sedẽ magnæ illius*

men-

mentis, quæ dicitur Diabolus, non substantiam animæ suæ in omnibus partibus constituendo, sed ex Lymbo præsentem se, & conspicuum omnibus partibus exhibendo.

221 Itaq; certum est de fide Christum Dominum descendisse ad locum Iustorum secundum realem præsentiam: Cum ergo dicitur Christum Dominum descendisse ad Inferos, secundum communem Theologorum sensum determinatur locus Iustorum, ad quem per præsentiam Christus Dominus descendit. Vndè sequitur malè ex sententia S. Thomæ, qua docuit Christum descendisse per effectum ad locum Damnatorum, deduci eum fauisse errori Durandi dicentis Christum Dominum per effectum descendisse etiam ad locum Iustorum; nam ex sententia S. Thomæ communi Scholasticorum sensui consona improbatur error Durandi, & Articulus certus de fide firmatur, vt probatum est.



Ani-

XXII.

1 *Animæ Christi Domini in triduo mortis fuit aliqua pœna esse in Inferno.*

2 *Animæ Christi Domini in triduo mortis non fuit aliqua pœna esse in Inferno.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio, quæ attribuitur S. Thomæ.

Animæ Christi Domini in triduo mortis fuit aliqua pœna esse in Inferno.

222 

TA S. Tho. 3. part. quæst. 52. art. 1. per hæc verba. *Conueniens fuit Christum ad Inferos descendere. Primo quia ipse venerat pœnam nostram portare, vt nos à pœna eriperet, secundum illud Isaiæ 53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ex peccato autem homo incurrerat non solum mortem corporis, sed etiam descensum ad inferos; & ideò sicut fuit conueniens eum mori, vt nos liberaret à morte, ita conueniens fuit eum descendere ad Inferos, vt nos à descensu ad Inferos liberaret; vndè dicitur Oseæ 13. Ero mors tua ò mors, ero morsus tuus Inferne.*

Con-

Conclusio, quæ censetur Sancto Thomæ opposita.

Animæ Christi Domini in triduo mortis non fuit aliqua pæna esse in Inferno.

223 ITa Bellarm. Tomo 1. Controu. de Christo lib. 4. cap. 16. dum ait. *S. Thomas 3. part. quæst. 52. art. 1. & 3. videtur dicere, fuisse aliquam pænam Christo fuisse in Inferno secundum animam &c. tamen mansionem animæ Christi in Inferno, & corporis in sepulchro non auderem vocare pænam, nec pænalitatem.*

S. Thomæ doctrinæ veritas.

224 EX S. Thomæ verbis adductis nullo modo colligitur eum docuisse animæ Christi Domini fuisse aliquam pænam fuisse in Inferno, vt Suarez etiam fatetur 3. part. Tomo 2. in Commentario art. 1. quæst. 52. supra cit. quod euidenter constabit illa verba perpendenti; nam aliud est dicere descensum ad Inferos Christo pænam fuisse, aliud est dicere Christum descendisse ad inferos vt tolleret à nobis pænam descensus ad Inferos; quia omnes nostras pænas portare venerat; hoc secundum dixit S. Tho. ex quo infertur Christum hanc pænam portasse, non eam sustinendo sensibiliter, sed ab ea debitores pænæ liberando, vt seipsum S. Doctor explicat in eodem art. ad 1. per hæc verba. *Decuit Christum in Infernum descendere, non tanquam ipse esset debitor pænæ, sed vt eos, qui erant pænæ obnoxij, liberaret.* Ergo non fuit Christo pæna in sententia

S.Thomæ descensus in Infernum, quæ verba non aduertit Bellar. nam ipse ideo dicit Christo non fuisse pœnam descensus ad Inferos, quia fuit in Inferno vt liberator. Cur ergo obtendit S. Thomam dixisse hunc descensum Christo fuisse pœnam, si S. Doctor etiam dicit Christum fuisse in Inferno vt liberatorem.

225 In qua sententia S. Thọ. perpetuus fuit; nam in 3. dist.22. quæst.2. art.1. quæst. 1. c. ait. *Christo fuit competens in Infernum descendere, secundum quod Infernus importat locum, non autem secundum quod importat pœnam*, & ad 1. ait. *Nomen Inferni secundum quod importat locum, non sonat in malum tantum, & sic potest competere Christo; secundum autem quod importat pœnam damni, vel sensus, sic Christo competere non potest, quia sic sonat etiam in malum culpæ*, idem repetit ad 3. & ad Anib. in eadem dist. art.4. sic ait. *Nomine Inferni potest intelligi, vel pœna, vel locus pœnæ. Primo modo non descendit anima Christi ad infernum, quia nec pœna damni, nec pœna sensus digna erat, secundo modo descendit ad illam partem Inferni &c.* & ad 3. sic inquit. *Ad 3. quod obijcitur, quod optimo debetur optimus locus. Dicendum, quod verũ est secundum se, sed dispensatiuè propter nos ad tempus potest Christo post mortem aliquis locus pœnalis conuenire, non quantum ad supplicium, per quem modum loquitur Aug. de Inferno; sed quantum ad loci substantiam*, & in opusc. Compendij Theolog. p.p.2 [illegible]

226 cap.234. sic ait. *Consequuntur autem hominem ex peccato post mortem alij defectus, & ex parte corporis, & ex parte animæ; ex parte corporis quidem, quod corpus redditur Terræ, ex qua sumptum est. Hic autem defectus ex parte corporis in nobis quidem secundum duo attenditur, scilicet, secundum positionem, & secundum resolutionem, secundum positionem quidem, in quantum corpus mortuum sub terra ponitur sepultum; secundum resolutionem verò, in quantum corpus in elementa soluitur, de quibus est compactum: Horum*

autem

autem defectuum, primum quidem Christus pati voluit, vt scilicet, corpus eius sub Terra poneretur: Alium autem defectum passus non fuit, vt, scilicet, corpus eius in Terram resolueretur &c. Huius autem ratio est; quia corpus Christi materiam sumpsit de natura humana, sed formatio eius non fuit virtute humana, sed virtute Spiritus Sancti: & ideo propter substantiam materiæ subterraneum locum, qui corporibus mortuis deputari consueuit; voluit pati; locus enim corporeus debetur secundum materiam prædominantis elementi; sed dissolutionem corporis per Spiritum sanctum fabricati pati non voluit; quia quantum ad hoc ab alijs hominibus differebat. Hucusque S. Tho. locutus est de corporis Christi sepultura, quam non dicit fuisse pænam, seu pænalitatem, vel malum corpori Christi vt putat Bellar. vbi supra; nam sicut Bellar. dicit, *malum corpori defuncto est corrumpi in sepulchro, & putrefieri, carnem autem Christi in sepulchro fuisse sine corruptione*, idem docuit S. Th. vt patet ex supra allegatis, & ex 3 part. quæst. 51. art. 3. quod autem Bellar. dicit esse in sepulchro, est bonum corpori defuncto, transeat, sed negari non potest locum sepulchri deputari corporibus mortuis; quia corpus mortuum redditur Terræ, vndè sumptum est, qui est defectus corporis humani, attamen sepultura deputari non debebat simpliciter corpori humano mortuo vnito hypostaticè verbo, vt intendit 3. arg. 1. art. quæst. 51. 3. part. cui S. Tho. cum iam probasset in corp. art. ex diuina ordinatione corpus Christi fuisse sepultum ad varios fines, respondet ex verbis cuiusdam Serm. Conc. Ephesini; ex quibus patet, quod quamuis Christo defuncto non deberetur sepultura, vt dictum est, ipse tamen voluit sepeliri, quod non ostendit eum tunc passibilem, sed elementum; vndè patet assumptum fuisse defectum corporis mortui à Christo Domino, dum sepeliri voluit, non in pænam, vel pænalitatem, sed præter alias coniecturas, quas S. Tho. affert. 3. part. vbi supra &c. vt omnes

nes nostros defectus assumeret, quos assumere illum non dedecebat; dum verò S. Tho. dicit Christum pati
227 voluisse sepeliri, ly, *pati*, non significat voluisse subire pœnam, vel pœnalitatem; sed idem sonat, ac dignatus est, in quo sensu etiam S. Io: Chrisost. Hom. 14. super 1. Epistolam ad Cor. cap. 10. vsus est verbo *pati*, dum dixit de Christo Domino, quod in cruce passus non est, id in oblatione *patitur*.
228 Quo verò modo Christus Dominus mortuus nostros defectus assumpserit, S. Tho. Cap. 235. in opusc. cit. explicauit egregiè, cum de descensu Christi ad Inferos loquendo, ita scripsit. *Ex parte verò animæ sequitur in hominibus ex peccato post mortem, vt ad Infernum descendant, non solum quantum ad locum, sed etiam quantum ad pœnam: sicut autem Corpus Christi fuit quidem sub Terra secundum locum, non autem secundum communem resolutionis defectum, ita & anima Christi descendit quidem ad Inferos secundum locum, non autem vt ibi pœnam subiret, sed magis vt alios à pœna absolueret &c. Vndè post mortem nihil patiendum restabat, sed absque omni pœna passione localiter ad Infernum descendit &c. ex hoc etiam dicitur, quod solus inter mortuos fuit liber, quia anima eius in Inferno non subiacuit pœna, nec corpus eius corruptioni in sepulchro*. Patet ergo S. Thomam docuisse Christum Dominum assumpsisse locum sepulturæ, & descensum ad Inferos, non vt subiret aliquam pœnam, vel pœnalitatem post mortem, sed omni exclusa pœna, & pœnalitate, sepeliri voluerit, & ad Inferos descenderit, vt diuinæ ordinationis intenti fines indè consequerentur.

Aliud


XXIII.

1 *Aliud fuit Corpus Christi viuum, aliud mortuum.*

2 *S. Thomæ doctrinæ veritas:*

Conclusio Diuo Thomæ attributa.

Aliud fuit Corpus Christi viuum, aliud mortuum.

229 TA S. Thom. quodl. 2. art. 1. quodl. 3. art. 4. ad primum, & quodl. 4. art. 8. & 3. par. quæst. 50. art. 5. quæ sententia non recipitur communitèr, vt dixisse fertur olim Achademia Parisiensis.

S. Thomæ doctrinæ veritas:

230 S. Thomæ sententia est Corpus Christi viuum, & mortuum fuisse idem numero simplicitèr, idest absolutè; fuit enim supposito idem, cum non habuerit viuum, & mortuum aliam hypostasim præter hypostasim Verbi Dei; non fuit tamen Corpus Christi viuum, & mortuum idem numero simplicitèr, si simplicitèr idem sit quod omninò, vel totalitèr, quia non fuit totalitèr idem, cum amiserit in morte vitam, quæ est essentiale prædicatum corporis viuentis. Ita idem S. Doctor. 3. p. cit.

Con-

231 Concedendum est ergo in sententia S. Doctoris Corpus Christi viuum, & mortuum fuisse idem numero secundum suppositum, aliud specie secundum formam, quam moriendo amisit, diuersum secundum speciem, quæ sumitur à forma, idem secundum numerum, quæ sumitur ex supposito; Erat enim siue viuum, siue mortuum, illud corpus semper, & in quocumq; statu subsistens per eandem suppositalitatem Verbi.



Erro-

XXIV.

1 *Erroneum est dicere quod aliqui seminalitèr ex Adam deriuentur absque originali peccato.*

2 *Beatissima Virgo seminaliter ex Adam deriuatur, & tamen non est erroneum dicere eam ab ipso deriuari absq; originali peccato.*

Insuper, firmiter tenetur, seruata fide catholica, B. Virginem præter Christum ex Adam deriuatam peccatum originale ex Adam non contraxisse.

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Erroneum est dicere quod aliqui seminaliter ex Adam deriuentur absque originali peccato:

ITA

232 TA S. Tho. de malo qu. 4. ar. 6. & in 4. Sent. dist. 43. q. 1. ar. 4. ad tertium iterum repetit per hæc verba. *Hoc est erroneum dicere, quod aliquis sine originali concipiatur præter Christum*, & p. 2. q. 81. ar. 3. c. dixit, *secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines præter solum Christum ex Adam deriuati peccatum originale ex Adam contrahunt.*

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita.

Beatissima Virgo seminalitèr ex Adam deriuatur, & tamen non est erroneum dicere eam ab ipso deriuari absq; originali peccato.

Item firmitèr tenetur, seruata fide catholica, B. Virginem præter Christũ ex Adam deriuatam peccatum originale ex Adam non contraxisse:

233 ITA Summi Pontifices Sixtus IV. Pius V. Paulus V. Greg. XV. & Alexander VII. in eorum notissimis Constitutionibus, ac Sac. Concili Tridentinum in fine Canonum de peccato originali sess. 5.

S. Tho-

S.Thomæ doctrinæ veritas.

234 EX illis propositionibus à S. Tho. prolatis locis vbi supra malè infertur ipsum contradixisse Constitutionibus posteriorum Summorum Pontificum, & Sac. Conc. Trid. Decreto; nam S. Doctor nunquam dixit opinionem eximentem B. Virginem ab originali culpa esse erroneam, nec seruata fide catholica, id dici non potuisse, sed in doctrina tradita intendebat stabilire
235 fidei dogma, quod Pelagiani euertebant; docuit namq; ex ordinaria lege, præcisò quocunq; priuilegio à Deo alicui concesso; omnes homines seminalitèr ab Adam deriuatos contrahere originale, & hoc esse firmitèr secundum fidem catholicam tenendum, quod nullus catholicus negabit; ideoq; oppositum meritò erroneum censetur à S. Thoma, qui locutus est in eadem vniuersalitate de peccato originali ab omnibus contrahendo, in qua loquitur S. Augustinus lib. de nat. & gratia cap. 41. in libris contra Iulianum præcipuè lib. 5. cap. 9. & lib. 6. cap. 12. & loquuntur Conc. Arausicanum Can. 77. Mileuitanum Can. 2. omnesq; passim Ecclesiæ Doctores, ac Scriptores antiqui, quæ tamen vniuersalitas B. Vir-
236 gini non præiudicat; ipsam enim tutò possumus ab vniuersali illa ordinaria lege exceptam credere, & dicere ex priuilegio speciali originale non contraxisse, cui exceptioni, ac priuilegio S. Augustinus, & S. Thomas, cæteriq; omnes Doctores etiam in Concilijs generalibus congregati non refragantur, dum vniuersalem illam propositionem contra Pelagianos firmauerunt esse de fide, quod in Conc. Trid. dum sess. 5. de peccato originali tractaretur, declaratum fuit verbis expressis. Hanc suam mentem S. Doctor clariùs patefecit in 4.
237 dist. 43. q. 1. ar. 4. ad tertium vbi docet quod: *Si sine errore poni posset aliquos non esse morituros, adhuc originale contraherent, quia Deus posset liberare à morte*

eos, qui reatum mortis contraxerant cum originali nascendo, ex hac authoritate colligitur S. Doctorem noluisse reprobare opinionem quorundam dicentium aliquos homines non esse morituros, quamuis scriptum sit, 2. Reg. 14. *omnes morimur* & Psal. 88. 49. *quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem &c.* sed docuisse, si sine errore hoc dici potuisset, aliquos quidem non morituros, sed omnes reatum mortis incursuros, cum nati essent in originali; Vnde patet S. Doctorem non recusasse admittere cum quibusdam hoc opinantibus, aliquam exceptionem in Scripturæ Sacræ propositionibus vniuersalibus omnium mortem futuram indicantibus, ortam ex lege priuata, vel speciali priuilegio alicui concesso, quod loquendo de B.
238 Virginis resurrectione secundum carnem ante communem omnium resurrectionem admisit expresse 3. p.qu. 30. ar.2. ad secundum dicendo cum Augustino in serm. de Assumpt. *B. Virgo Maria vera æstimatione à quibusdam generalibus excipitur*. Ergo cum sine errore dici possit B.Virginem originale non contraxisse, in sententia S. Thomæ eam excipere possumus ab vniuersali illa propositione Rom. 5. *in quo,* scilicet, in Adam, *omnes peccauerunt*, alijsq; similibus, quæ iu Sac. Scriptura leguntur, & asserere, cum deberet, quia ab Adam seminaliter deriuata est, originale contrahere, fuisse singulari priuilegio præseruatam, quod egregiè confirmant huius labentis sæculi nostri Patres eximij S. Thomæ mentis interpretes, Ioannes de S. Thoma, qui decessit Catholici Regis Confessarius, in cursu Theologico Tomo primo inter Tractatus, quos in limine ad Theologiæ Tyrocinium præmittit, Tract.3. disp. 2. ar.2. §. *Confirmat se S.Thomas*. Impress. Genuensis 1654. Dominicus de Marinis Archiepiscopus Auinionensis in sua expositione Cõmentaria in Primã secundæ S.Thomæ Lugduni 1663. impressa, q.81. ar.3. cap.vnico, & Marcus Serra in sua Summa Commentariorum in p.2.S.Thomæ Romæ impressa 1653. Tomo 2.ad eiusdem q.81. ar.3.
Dices

239 Dices S.Thomam iudicasse præter Christum, nullum alium excipi posse ab originali, nec quidem B. Virginem; quam originale contraxisse pluries docuit ex hac potissimum ratione, quia aliàs non fuisset à Christo redempta, ita quodl.6. art.7. ad Aniball.3. dist.3. art.1. in alio scripto dist. eadem quæst. 1. art.1.quæst.1.art.2. quæst.2. in Psal. 113. Vers. *Non est qui faciat bonum*, Opusc. 2. p.p. cap. 224. opus. 60. art. 3. 3.part. quæst. 27. art. 2. c. & ad 3. &c. Ergo S. Tho. sicut erroneum iudicasset dicere B.Virginem redemptione facta per Christum non indiguisse, vt colligitur ex loco adducto ex 4. sent. ita erroneum iudicasset excipere B. Virginem ab originali, ex quo inferretur in eius sententia ipsam huiusmodi redemptione non indiguisse.

240 Resp. S.Thomam Christum eximere ab omni debito contrahendi peccati originalis maculam; ex hac etiam ratione, quia ipse seminaliter ab Adam non descendit, & ideo si B. Virgo ab Adam non descendisset seminaliter, infert quod ipsa non solum originale non contraxisset, sed nec debitum illud contrahendi incurrisset; ideoque non indiguisset redimi per Christum. Ita quodl.6. art.7. vbi sic ait, *à quo* scilicet ab originali, *solus Christus excipitur, qui in Adam non fuit secundum seminalem rationem, alioquin si hoc alteri conueniret quam Christo, non indigeret Christi redemptione*; vbi notandum est cum Fratre Ioanne de S.Thoma vbi supra Tract.3. qui est de Approb. & auctoritate Doct.S.Thomæ disp.2. art.2.§. *Conformat se S.Thomas sensui Ecclesiæ* illud pronomen *hoc* referri ad esse in Adam secundum seminalem rationem; vndè sensus verborum S.Doctoris est, si B. Virgini conueniret non fuisse in Adam secundum seminalem rationem, sicut conuenit Christo, non indiguisset Christi redemptione, quod patet expressè, tunc enim nulla in ea fuisset captiuitas, nec in se, nec in sua radice, & consequenter nullum debitum contrahendi originale, ad quod tollendum sua redemptione Christus venit principaliter, qua ratione

doctè probat Suarez in 3. part. S.Thomæ Tomo primo disp. 42. sec. 2. circa finem Angelos propriè loquendo non fuisse à Christo sua morte redemptos.

241 Ad hoc verò quod B. Virgo indigeret Christi redemptione, satis fuit ipsam ab Adam seminaliter descendisse, ex quo debitum originale contrahendi incurrit; ideoque supposita eius ab originali præseruatione; cum ex hac seminali descendentia incurrisset debitum contrahendi originale, adhuc indigebat vt à Christo redimeretur; & hæc est mens S.Thomæ; nam 2. dist. 28. quæst. 1. art. 2. ad 5. ita loquitur. *Sicut à necessitate moriendi homo non liberatur nisi per gratiam, ita & à necessitate subiacendi illi peccato per originem à parentibus in posteros transfuso.* Ex his patet S. Tho. neces-

242 sitatem moriendi, & necessitatem subiacendi originali inter se comparasse, ac docuisse, quod sicut, si sine errore dici potuisset, quosdam non morituros, hos non liberandos à morte nisi per gratiam, ita, hoc est, eodem prorsus modo, si absque errore dici potuisset aliquem ab originali liberandum, hunc liberandum non fore nisi per gratiam; sed hæc est B. Virgo, quam dicere possumus sine errore liberam ab actuali originalis contractatione fuisse. Ergo S.Thomas consequenter loquendo dixisset explicitè hoc illi per gratiam accidisse, maximè si modo viueret, quando hoc dici posse sine errore Ecclesia iam declarauit, & iussit.

243 Sed vt mentem S. Doctoris propriùs intueamur, perpendenda sunt, quæ docuit in 4. vbi supra; ibi enim postquam præmisisset erroneum esse dicere quod aliquis sine peccato originali concipiatur præter Christum, vt ostenderet in quo sensu accipiendum esset, quod dixerat, subdit, *oportet autem ponere, quod quilibet personaliter redemptione Christi indigeat*, postea reddendo rationem, qua quilibet in sua sententia indigeret redemptione Christi; ibidem ferè immediatè subiungit. *Liberari autem à malo, vel à debito absolui non potest, nisi qui debitum incurrit, vel in malum*

lum deiectus est, & ita non possent omnes fructum Dominicæ redemptionis in se percipere, nisi omnes debitores nascerentur, & malo subiecti; vnde dimissio debitorum, & liberatio à malo non potest intelligi, quin aliquis sine debito, vel immunis à malo nascatur, Ergo in sententia S. Thomæ, ideo erroneum est dicere aliquem non contrahere originale, quia ex hoc sequeretur aliquem futurum descendentem seminaliter ab Adam, qui non indigeret Christi redemptione, sed ipse declarat sat esse incurrisse debitum mali ad hoc, vt quis liberatione, seu redemptione indigeat: Ergo in sententia ipsius S. Thomæ, si B. Virgo contraxit tantùm debitum originalis culpæ, quamuis originalem culpam actualiter non contraxisset, indiguisset liberari, seu redimi à Christo. Vndè infertur in doctrina S. Thomæ tantùm haberi, quod erroneũ sit dicere B. Virginem non contraxisse debitum peccati originalis; non verò erroneum esse dicere B. Virginem originale actualiter non contraxisse, negantes verò in B. Virgine debitum contrahendi originale, tanquam de propositione Theologica censura digna confutantur à Bellar. Tomo 4. Con. de amissione gratiæ. Cap. 16. à Suarez in 3. p. Tomo 2. disp. 3. sect. 2. §. *Quæret aliquis*, & alijs, qui B. Virginem ab actuali originalis contractione eximunt post supradictorũ Pontificum Constitutiones, & Conc. Trid. Quæ dicta esse volo inhærendo laudatis ante Doctoribus; Commendo enim plurimum pietatem, & ingenium recentiorum, quorum aliqui debitum hoc ad remotam, & remotissimam significationem ablegarunt; alij verò ex præuisis Christi meritis nullum in B. Virgine fuisse debitum tale senserunt.

244 Si omnes D. Thomæ authoritates, in quibus dicere videtur B. Virginem originale peccatum incurrisse, rectè, & attentè examinarentur, veluti ego eas in speciali Tractatu doctis amicis communicato, & probato examinaui, euidentèr intelligeretur nullam esse, quæ nos cogat asserere S. Doctorem loqui de B. Virginis actuali

origi-

originalis contractione, sed inuariato verborum sensu, & firma manente totius discursus serie, comprahenderetur omnes illas authoritates pati interpretationem hanc de solo debito originali subiacendi; nam in sententia S. Thomæ, hoc debito in B. Virgine posito, inoffensum remanet fidei dogma de cæterorum omnium in peccato conceptione, quod S. Doctor stabilire, & firmare intendebat contra Pelagianos. Nam singularia B. Virginis priuilegia fidei dogmata non euacuare docuit, vt ex supradictis patet; & cum docuisset sæpius B. Virginem ab Adam seminaliter fuisse deriuatam, quia ex hac radice erat in ea debitum originale contrahendi, inferebat eam indiguisse Christi redemptione, quod certum est in fide, Vndè cum S. Doctor in prædictis, quæ ad fidem pertinent, solidandis totus esset, probare intendebat B. Virginem, nec ex vi generationis actiuæ, nec ante animationem sanctificatam fuisse ab originali, quia his probatis, sequebatur B. Virginem saltim debitum contrahendi originale incurrisse, & per Christum fuisse liberatam; excluso enim etiam omni debito, vt supra dicebamus, nulla apud S. Thomam remanebat ratio, qua probaretur eius redemptio, quæ salua fide negari non potest. Consonant hæc doctrinæ traditæ ab egregio mentis S. Thomæ interprete Caietano 1. 2. q. 81. ar. 3. quam postea sequuti sunt, & sequuntur præstantissimi Thomistæ mentis S. Thomæ studiosissimi indagatores, & patroni, dum eius sententias versant, & commentarijs illustrant.



Dum

XXV.

1 *Dum celebratur festum Conceptionis B. Virginis, nomine Conceptionis intelligitur sanctificatio.*

2 *Dum celebratur festum Conceptionis B. Virginis nomine Conceptionis intelligitur Conceptio.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Dum celebratur festum Conceptionis B. Virginis nomine Conceptionis intelligitur sanctificatio.

245 

OLLIGITVR hæc Conclusio ex S. Tho. verbis 3. p. qu. 27. ar. 2. ad tertium vbi sic ait. *Licet Ecclesia Romana Conceptionem B. Virginis non celebret; tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud celebrantium; vndè talis celebritas non est totaliter reprobanda, nec tamen per hoc, quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quod in sua Conceptione fuerit sancta; sed quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebra-*

lebratur festum sanctificationis eius potiùs quam Conceptionis in die Conceptionis ipsius, idem repetit opusc. 60. art. 3. & in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. cap. ait, *S. Bernardus ad Lugdunenses scribit Conceptionem ipsius celebrandam non esse, quamuis in quibusdam Ecclesijs ex deuotione celebretur, non considerando Conceptionem, sed sanctificationem, quæ quando determinatè fuerit, incertum est* & quodl. 6. art. 7. dixit. *Romana Ecclesia, & plures aliæ considerantes Conceptionem B. Virginis in originali fuisse, festum Conceptionis non celebrant; aliquæ verò considerantes sanctificationem eius in vtero, cuius tempus ignoratur, celebrant Conceptionem; creditur enim quod citò post Conceptionem, & animæ infusionem fuerit sanctificata: Vndè illa celebritas non est referenda ad Conceptionem ratione Conceptionis, sed potius ratione sanctificationis.*

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita.

Dum celebratur festum Conceptionis B. Virginis nomine Conceptionis intelligitur Conceptio.

246 ITa Gregorius XV. in sua Constitutione edita in Congregatione S. Officij 24. Maij 1622. vbi postquam præmisisset S. R. E. de Beatiss. Virginis Conceptione festum solemniter, & officium celebrare, præcepit vt celebrantes hoc festum, *omnes in Missæ sacrificio, & officio diuino non alio quam Conceptionis nomine vterentur*, & consequenter declarauit, dum celebra-

bra-

bratur festum Conceptionis B. Virginis, nomine Conceptionis intelligi Conceptionem, non sanctificationem, vt dixerat S. Thomas; quod nuper clariùs expressit Alexander VII. in sua innouatione constitutionum, & Decretorum &c. sub die 8. Decembris 1661.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

247 PRo intelligentia doctrinæ S. Thomæ suppono ipsum admisisse festum Conceptionis B. Virginis quod etiã suo tempore celebrabatur in aliquibus Ecclesijs, & iudicasse hunc actum esse religiosum, & effectum deuotionis, ita 3. dist. 3. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. vbi sic ait, *propter quod B Bernardus ad Lugdunenses scribit Conceptionem ipsius celebrandam non esse; quamuis in quibusdam Ecclesijs ex deuotione celebretur*, & 3. part.
248 quæst. 27. art. 2. ad 3. ait. *Licèt Ecclesia Romana Conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud celebrantium; vndè talis celebritas non est totalitèr reprobanda*. Ergo Ecclesia Romana quamuis, dum viueret S. Thomas, de intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione festum non celebraret, quod modò solemniter celebrat; tamen ipse docebat etiam tunc Ecclesiam Romanam censuisse consuetudinem illam esse religiosam, aliàs fuisset reprobanda, sicut reprobantur ea, quæ sunt mala, & iustis de causis ab Ecclesia Romana tolerantur, vt dixit S. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 11.

249 Suppono 2. sæculo, quo viuebat S. Tho. Ecclesias, quę celebrabant festũ Conceptionis B. Virginis illud sub nomine Conceptionis celebrare consueuisse, quamuis non omnes conuenirent in opinando de modo, quo fuisset præseruata ab originali; nam Ecclesia Lugdunensis celebrabat festum Conceptionis ipsius à primo instanti immaculatæ, vt patet ex Epistola, quam S. Bernardus

ad Canonicos illius Ecclesiæ scripsit, à S. Doctore supra allegata; aliquæ verò Ecclesiæ, quæ post contractum originale astruebant eius sanctificationem in vtero, sub nomine etiam Conceptionis festum celebrabant, sed dictam sanctificationem in cultu illius festi intendebant, ad quod ostendendum S. Tho. quodl. 6. art. 7. dixit. *Aliquæ verò Ecclesiæ considerantes sanctificationem eius in vtero, cuius tempus ignoratur, celebrant Conceptionem*. Itaque omnes Ecclesiæ in nomine Conceptionis celebrando festum istud, conueniebant, sed in sententia quomodò de facto concepta fuisset B. Virgo, seù in qua morula in sua Conceptione fuisset sanctificata (quod adhuc ab Ecclesia definitum non est) discrepabant. Et postea Sum. Pontif. Gregorius XV. & Alexander VII. editis Constitutionibus nomen Conceptionis ad immaculatam significandam coarctarunt.

250 Suppono 3. supradictas Ecclesias quamuis discrepantes in hac quæstione de facto, omnes conuenisse in celebrando festum Conceptionis 8. Decembris, quamuis illo die, quo concepta fuit B. Virgo, nec præseruata, nec non præseruata dici possit, cum hoc supponat præsentiam animæ, quæ non nisi post multos dies embrione formato in corpus infunditur, vt patet, sed sumentes omnes Ecclesiæ diem certùm pro incerto, elegerunt illo die celebrare festum Conceptionis, quò ante nouem integros menses à natiuitate embrio non dum animatus anima rationali in matrice formatus fuerat; & hoc dixit S. Tho. 3. part. quæst. 27. art. 2. ad 3. illis verbis, *nec tamen per hoc quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi quod in sua Conceptione fuerit sancta*. hoc est in Conceptione ante animationem. *sed quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potiùs quam Conceptionis in die Conceptionis ipsius*.

251 Ex dictis colligitur S. Thomam semper dixisse Ecclesias, quæ diebus suis celebrabant festum Conceptionis B.V.

B. V. illud celebrasse sub nomine Conceptionis; quamuis non omnes conuenirent in considerando primum esse sanctitatis; qua propter sæpius repetendo hoc festum, illud perpetuò festum Conceptionis nominat. 3.par. vbi supra dixit quidem, *celebratur festum sanctificationis eius potiùs quam Conceptionis*, non in eo sensu, quod sub titulo sanctificationis festum illud celebraretur; nam paulò ante dixerat *festum Conceptionis celebrari*, sed quia in hoc festo duo considerari poterant, scilicet, Conceptio Matris Dei, & eius sanctitas in Conceptione infusa, dixit S. Doctor *potiùs Ecclesias celebrare festum sanctificationis, dum celebrant festum sub nomine Conceptionis*; quia id potioris est dignitatis, & iuris tale festum celebrandi, quod egregiè explicauit in quodl.6. art.7. vbi dixit Ecclesias, quæ considerabant sanctificationem in vtero, celebrasse Conceptionem. Patet ergo secundum S. Thomam Titulum festi fuisse Conceptionem; sanctificationem vero id, quod considerabatur; & cum hoc sit principalius in festo, dixit potius sanctificationem celebrari. Titulus igitur festi secundum D. Thomam non erat sanctificatio, sed hæc considerabatur vt fundamentum, & ratio celebrandi festum istud, vt rectè perpendit etiam Bellar. Contr. Tomo 2. de Cultu Sanctorum lib.3. cap. 16. Sanctitas
252 autem in hac Conceptione extitit omninò, nec vnquam negari potuit sine nota alicuius censuræ Theologicæ. Vndè dixit S.Tho.3.dist.3. quæst.1. art.1.quæst.3. ad 3. *quamuis sanctificatio B. Virginis in vtero expressa in Scriptura veteris, & noui Testamenti non legatur; tamen pro certo haberi potest ex his, quæ ibi leguntur.*

253 Hoc festum Conceptionis celebratum aliquando fuisse sub alio nomine quam Conceptionis certum est; celebrabatur enim sub titulo sanctificationis, antequam Greg.XV. sua Constitutione id prohibuisset; in Ordine Prædicatorum, & olim in Ecclesia S. Mariæ Maioris de Vrbe, vt testatur Aluarus in lib. de Planctu Ecclesiæ

apud Turrec. in Trac. de Conceptione part. 13. cap. 9. Veruntamen S. Doctoris temporibus id non consueuisse putamus; cum de hac tituli varietate nullam vnquam S.Tho. mentionem fecerit, & semper festum hoc festum Conceptionis appellarit, vt ex supradictis eius authoritatibus clarè constat, & quod ita tunc communiter appellaretur insuper conijcio, quia noster Ioannes Bromiardus in summa Prædicantium, quam scribebat Anno 1390. verbo Maria 35. dixit. *In festo namque sanctificationis, quod vulgaritèr festum Conceptionis vocatur.*

254 Suppono 4. Ecclesias particulares olim fuisse alienas à quæstione de facto in Conceptione B. Virginis cum vnam, vel alteram eius partem pro suo quæque arbitrio eligerent amplectendam; Ita sensit S. Tho. 3. part. quæst. 27. art. 2. ad 3. dum ait, Ecclesiam Romanam suis temporibus non celebrasse festum Conceptionis, sed celebrari ab alijs tolerasse, sed Ecclesia Romana, vt dicebamus, modò hoc festum Conceptionis intemeratæ semperque Virginis Mariæ solemnitèr celebrat, & Summorum Pontificum Constitutionibus parti negatiuæ fauet, vt expresse in dictis decretis declaratur, & Alexander VII. in sua præfata speciali Constitutione decidit. Nec obstant verba, quæ habentur quodl. 6. art. 7. quibus dixit S. Tho. *Romana Ecclesia, & plures aliæ considerantes Conceptionem B. Virginis in originali fuisse, festum Conceptionis non celebrant*, noluit enim ibi S. Tho. dicere Romanam Ecclesiam considerasse Conceptionem B. Virginis in originali fuisse; nam si id S. Doctor putasset, nunquam dixisset Ecclesiam Romanam tolerasse festum Conceptionis immaculatæ ab alijs Ecclesijs ex *deuotione* celebrari; tunc enim festum habuisset pro obiecto, quod Ecclesia Romana falsum esse considerasset, quo posito S. Tho. nunquam scripsisset Romanam Ecclesiam dictum festum, vt ab alijs Ecclesijs celebraretur ex *deuotione*, tolerasse, sed potiùs dixisset ipsam hoc festum, vt suæ considerationi oppo-

oppositum, tanquam sacrilegum, & superstitiosum reprobasse: quamuis enim Ecclesia Romana iustis de causis quædam mala toleret aliquando, vt dixit S. Tho. 2.2. quæst. 10. art. 11. hæc mala, quæ tolerat, sunt totaliter reprobanda; sed dixit S. Tho. hoc festum Conceptionis immaculatæ Ecclesiam Romanam tolerasse vt ex *deuotione* celebraretur, ideoque non erat totaliter reprobandum. Ergò intendebat Ecclesiam Romanam, tunc tolerasse hoc festum piarum quarundam Ecclesiarum iudicio admissum tanquam Religiosum, quamuis non fuisset ab ea adhuc palàm approbatum, sed plures Ecclesias, inquit S. Tho. scilicèt, præter Romanam, quæ festum Conceptionis non celebrabant, considerasse Conceptionem Beatæ Virginis in originali fuisse: Processu verò temporis, & post S. Thomæ felicem exitum, cum Ecclesia Romana festum Conceptionis Beatæ Virginis Intemeratæ celebrauerit, & ab alijs Ecclesijs celebrari decreuisset, Greg. XV. loco supracit. animaduertens in aliquibus Ecclesijs sub non vero nomine hoc festum celebrari, & Romanæ Ecclesiæ Conceptionis nomen, quo vtebatur in diuino Officio, non retinere, ad seruandam in diuino Officio, & Missæ Sacrificio cum Ecclesia Romana vnitatem nominis, & in fauorem sententiæ negatiuæ, vt Aldxander VII. declarauit, decreuit vt omnes Ecclesiæ, dum hoc festum celebrant, in Missæ Sacrificio, & in Officio diuino non alio quam Conceptionis nomine, quo Ecclesia Romana vtebatur, vterentur. In Ecclesia autem Romana exhibetur in hoc festo Conceptionis B. Virginis cultus à sua Institutione nunquam immutatus, secundum pietatem, & deuotionem colendi, & celebrandi Beatissimam Virginem, præueniente, scilicet, Spiritus Sancti gratia, à peccato originali præseruatam, vt decidit idem Alexander in sua sæpiùs laudata Constitutione.

Patet

255 Patet ergo S. Thomam nunquam dixisse celebrandū esse festum Conceptionis B. Virginis sub nomine sanctificationis, sed semper festum Conceptionis B. Virginis vnico nomine Conceptionis appellasse, & sub hoc nomine à quibusdam Ecclesijs, tunc fuisse celebratum, affirmasse. Vndè euidenter colligitur S. Thomam à Greg. XV. Decreto nunquam fuisse alienum, sed ei potius expresè consensisse.



Episco-

XXVI.

1 *Episcopatus non est Sacramentum:*
2 *Episcopatus est Sacramentum.*
3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Episcopatus non est Sacramentum.

256 

TA S. Thomas in 4. d. 24. q. 3. ar. 2. q. 2. ad secundũ sub his verbis. *Ordo, secundum quod est Sacramentum imprimens characterem, ordinatur specialitèr ad Sacramentum Eucharistiæ, in quo ipse Christus cõtinetur, quia per characterem ipsi Christo configuramur; & ideò licèt detur aliqua potestas spiritualis Episcopo in sui promotione respectu aliquorum Sacramentorum; non tamen illa potestas habet rationem characteris, & propter hoc Episcopatus non est Ordo secundũ quod Ordo est quoddã Sacramentum*, & dist. 25. q. 1. ar. 1. ad secundum inquit. *In promotione Episcopali datur sibi potestas, quæ perpetuò manet in eo; quamuis dici non possit character &c.* & ad Anib. eadem dist. ar. 2. ad quartum sic ait. Ordo potest duplicitèr accipi, *Vno modo, secundum quod est Sacramentum*, & sic omnes Ordines ordinantur ad Eucharistiam; Vndè *cum Episcopus* non habeat potestatem superiorem Sacerdote respectu Eucharistiæ, *Episcopatus non est ordo*.

Con-

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita.

Episcopatus est Sacramentum.

257 Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 3. dicit. *Cum scripturæ testimonio &c. perspicuum sit per sacram ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet Ordinem esse verè, & propriè vnum ex septem Ecclesiæ Sacramentis.* Ad hoc probandum adducit authoritatem Apostoli 2. ad Tim. 1. nam statim subiungit, *inquit enim Apostolus, admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*, his positis probatur ex Sac. Concilij doctrina Episcopatum esse Sacramentum: Sac. Concilium docet Ordinem esse Sacramentum; quia illud, quod Timotheo se contulisse Apostolus dicit, erat Ordo, & Sacramentum, ergo Concilium definit illud, quod Apostolus contulit Timotheo fuisse ordinem, & Sacramentum; si enim non fuisset Ordo, & Sacramentum, non potuisset ex illa authoritate Apostoli Concilium probare Ordinem esse Sacramentum, sed Apostolus contulit Timotheo Episcopatum, vt patet, ergo Episcopatus est Ordo, & Sacramentum.

2 Idem Sac. Concilium Cap. 4. declarat, *præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc* (*scilicet Ecclesiasticum*) *hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere*, postea Can. 6. definit in Ecclesia catholica esse hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris. *Ex his formatur argumentum, Sac. Concilium Can.* 4. *definit*, per sacram ordinationem, idest per ordinem, dari Spiritum

San-

Sanctum, & per eam imprimi characterem, sed Episcopatus est ordo, vt dicitur cap. 4. diuina ordinatione institutus, vt dicitur Can. *6.* Ergo per hanc sacram Episcopatus ordinationem datur Episcopo Spiritus Sāctus, & imprimitur character, sed sacra ordinatio est Sacramentum, vt dicitur Cap. 3. ergo Episcopatus cum sit sacra ordinatio, de mente Concilij est Sacramentum: Confirmatur; nam Sac. Concilium cap. 4. dicit, si per sacram ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratia confertur, hoc erit verè, & propriè vnum ex septem Ecclesiæ Sacramentis; sed Episcopatus est sacra ordinatio, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, vt patet, & per eam gratia confertur, cum in ea Episcopus consecrans dicat. *Accipe Spiritum Sanctum*, quod si quis assereret Episcopos frustrà dicere in sacra ordinatione, anathematizatur à Sac. Conc. Can. eodem. Ergo de mente Concilij Episcopatus, quem dixit Can. *6.* ad hierarchiam diuina ordinatione institutam pertinere, est verè, & propriè Ecclesiæ Sacramentum.

258 Beneficio Card. Pallauicini nupèr nobis innotuit mens Sac. Concilij in condendis illis Capitulis doctrinæ, & Canonibus definiendis; nam vt constat ex Historia eiusdem Concilij, quam scripsit, vbi magno Ecclesiæ catholicæ bono Petri suauis mendacia funditus dissipauit, & legitima eius Acta ex monumentis authenticis, & indubitatis sanè, & sanctè narrauit, grauis disputatio suscitata est in Conc. de Institutione Episcoporum, & vtrum essent Episcopi dicendi à Deo immediatè, vel mediante Romano Pontifice instituti, diutina fuit inter Patres Tridentinos altercatio; de Episcopatu verò an esset Ordo, vel Sacramentum, incidit colloquium, sed ferè omnes Patres supponentes Episcopatum Ordinem esse; an esset insuper Sacramentum condistinctum ab alijs disputare declinauerunt, quod apparet ex eorum Votis, & Tractatibus editis in Con. Votum Iacobi Nanclanti Episcopi Clugiensis Ord. Prædic. singulari erudi-

ctione Episcopali, ex quibus euidenter dignoscitur in Concilio non fuisse ex professo agitatam hanc quæstionem. *Vtrum Episcopatus esset Sacramentum à cæteris distinctum*, sed Sac. Concilium definiuisse Can. 6. in Hierarchia Ecclesiastica diuina ordinatione institutā esse Episcopatum, quem tanquam gradum ad hunc ordinem hierarchicum præter cæteros gradus pertinere docuerat cap.4. damnando eos, qui omnes Christianos Sacerdotes esse affirmabant, Ecclesiasticam hierarchiam confundentes. Cum verò Can. 6. Institutionem Episcoporum dixisset esse quidem à Deo, sed absque declaratione an mediatè, vel immediatè, recusauit ibi hæc verba ponere, *ex institutione Christi*, prout quidam ex Patribus petebant, sed loco dictorum verborum posuit, *ex ordinatione diuina*, quæ verba aliqui Patres interpretati sunt ac si significarent, *ex prouidentia diuina*, vt refertur in dicta Historia lib. 21. cap. 11. n.4. Cum autem conderentur priora capita doctrinæ, & in Canone 2. illius sess.23. nulla fieret mentio de Episcopatu, dum Ordines enumerarentur, sed videretur Sac. Concilium sentire omnes Ordines in Sacerdotio terminari, Patriarcha Venetus, prout narratur ibidem lib. 18. cap. 14. consuluit inter Ordines recensendum etiam Episcopatum, quod, vt ipse putabat, iam statutum erat à sacris Canonibus in *Tit. de Sac. Vnctione*, sed Patres non acquieuerunt, nec iudicarunt illum Canonem 2. vbi definiebatur, *præter Sacerdotium esse in Ecclesia catholica alios Ordines maiores & minores, & per quos velut per gradus, quosdam in Sacerdotium tenditur*, immutandum esse; sed cum euidentissimum sit Episcopatum non esse Ordinem aliquem, nec maiorem, nec minorem, per quem in Sacerdotium tendatur, cum Sacerdotium supponat, & excedat; deducitur necessariò Patres Concilij noluisse in Ordinis Sacramento explicitè Episcopatum recensere.

Hæc diximus ad ostendendum, quod si Vasquez,

Turrianus, & alij, quos part. 12. Trac. de Consec. Episcoporum Diana congessit, legissent Historiam Card. Pallauicini, vbi de Concilij mente moniti fuissent ab ipsorum interpretatione aliena, non ita promptè sententiam asserentem Episcopatum non esse Sacramentum dignam post Conc. Trid. nota graui, vel erroris, vel errori proximæ, vel periculosæ in fide pronunciassent, nec dixissent certa fide asserendum esse Episcopatum esse Sacramentum; nam cognouissent Sac. Concilij mentem nunquam fuisse condemnare sententiam negantem Episcopatum esse Sacramentum, quam doctissimi, & doctrinæ catholicæ defensores eximij à Diana enumerati loco cit. etiam post Concilium propugnarunt; immò & ij, qui Concilio interfuerunt, inter quos noster Frater Dominicus Soto super 4. sent. dist. 24. part. 2. art. 3. dixit, asserentes Episcopatum esse Sacramentum sine causa aduersari communi opinioni, & Ecclesiæ vsui, quo non celebrantur nisi septem Ordines, & noster Frater Petrus Soto Theologus Pontificius, qui anno, quo Concilium terminatum est, obijt Tridenti, de Sac. Ord. lec. 4. multos dubitasse, dum scriberet, refert, an Episcopatus esset Sacramentum, quod tamen ipse optimus Thomista tenebat certum de fide; sed hæc eius opinio comparanda est cum alia, quam habebat de residentia, ab ipso de iure diuino existimata, non verò à Conc. ita declarata. Tandem certum est Sac. Concilium condemnare noluisse erroris tot Doctores veteres Sanctos, & Scholarum Principes, qui sentire videntur Episcopatum non esse Sacramentum; quos recenset Diana vbi supra, inter eos legendus est Petrus Damianus opusc. 6. cap. 15. vt aduertit Grauina de Sac. Ord. disp. 7. cap. 3.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

259 SEd nostri instituti ratio exigit inuestigare S. Thomæ mentem, quam Siluius in supl. ad 3. part. quæst. 40. art. 5.

art.5. concl.2. S. Doctorem, dum hanc Controuersiam dissolueret, variam habuisse putat cum opusc.17.cap. 24. retractasse credit, quod prius in 4. loco cit. iunior docuerat.

At nos censemus S. Doctorem semper perstitisse in eadem sententia, quæ est, Episcopatum esse Ordinem, & Sacramentum, si Episcopatus sumatur prout est gradus, dignitas, & officium in Hierarchia Ecclesiastica; sed Episcopatum non esse Ordinem ab alijs distinctum secundum quod Ordo est Sacramentum, si Ordo accipiatur specialiter, prout ordinatur ad Sacramentum Eucharistiæ, & hanc esse doctrinam, quam Sac. Concilium accepiasse nos putamus, vt palam ex dicendis fiet.

260 Et primo quod S. Thomas dixerit Episcopatum non esse distinctum Ordinem, secundum quod Ordo est Sacramentum, hoc est, secundum quod Ordinis Sacramentum specialitèr ordinatur ad Eucharistiam; patet ex locis adductis in initio huius Conclusionis; nam cum ipse senserit ad Ordinis Sacramentum, si ita accipiatur, solum pertinere Ordines, quibus ad Sacerdotium tenditur, vt patet ex eius allatis authoritatibus, & ex his, quæ docet 4. c.g. cap.74. & 75. quod postea Conc. Tridentinum in sess. 23. can. 2. definiuit, inter septem Ordines docuit præcipuum locum tenere Sacerdotium, in quo omnis potestas consecrandi Eucharistiam completur, & quia Episcopatus non ordinatur ad conficiendũ Corpus Christi verum in Eucharistia, dixit Episcopatum, secundum quod est Ordo, per quem accipitur potestas consecrandi Corpus Christi, non esse Sacramentum; idem docuit in 4.dist.23.quæst.1. art.3. quæst.3. ad 1. per hæc verba, *quia quantum ad Corpus Christi verum nullus Ordo est supra Sacerdotium, sed quantum ad Corpus Christi misticum Episcopalis Ordo est supra Sacerdotium*, & opusc.17.cap.24. dixit, *Episcopus quantum ad Corpus Christi verum, quod in Sacramento continetur, non habet ordinem supra*

Pre-

Presbyterum, quod prius dixerat Petrus Damianus opusc.6?. cap.15. per hæc verba. *Enim verò ad instar septem Sacramentorum Spiritus Sancti septem nihilominùs sunt Ordines Ecclesiasticæ dignitatis; quod autem his omnibus gradibus adhuc, & alij præferuntur, videlicèt, vt sunt Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi, non tam nouus Ordo suscipi, quam in eodem ipso Sacerdotio videtur excellentiùs sublimari*, cui sententiæ Bellarminus inhærens, cum de Sacramento ordinis in suis Controuersijs lib.1. cap.1. agens dixisset. *Episcopatum, & presbyteratum esse vnum ordinem*, in recognitione suorum librorum postea sic dixit, *rectius dixissem esse vnum ordinem, sed gradus diuersos, nam tam Episcopus, quam presbyter, sacerdos, & dicitur, & est, sed ille maior, iste minor, quare in libro Pontificali, vbi traditur ritus ordinandi presbyteros, dicuntur presybt. secundi ordinis sacerdotes.*

261 Verum Episcopatum esse Ordinem, & Sacramentum, prout est gradus, dignitas, vel officium in Ecclesiastica Hierarchia, sæpius docuit S. Thomas; esse Ordinem dixit in 4. loco cit. in corp. per hæc verba. *Alio modo accipitur Ordo secundum quod est officium quoddam respectu quarumcunque actionum Sacrarum & sic cum Episcopus habeat potestatem in actibus hierarchicis respectu corporis mistici supra Sacerdotem, Episcopatus erit Ordo, & secundum hoc loquuntur authoritates inductæ*, scilicet in 1. argumento ex Dion. de Eccles. hierar. cap.5. quod repetit ad Anib. eodem loco cit. & opusc. 17. cap. 24. ait, *quod verò proponitur quod Episcopatus non est Ordo, hoc manifestè continet falsitatem, si absolutè intelligatur; expressè enim dicit. Dionysius esse tres Ordines Ecclesiasticæ hierarchiæ, scilicet Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum; habet enim Ordinem Episcopus per comparationem ad Corpus Christi misticum, quod est Ecclesia, super quam principalem accipit curam, & quasi regalem &c. quod autem habeat aliquem Ordinem, &*

non

non iurisdictionem solum sicut Archidiaconus, & Curatus Presbyter, patet ex hoc, quod Episcopus potest multa facere, quæ non potest committere, sicut confirmare, ordinare, & consecrare Basilicas, & huiusmodi, quæ verò iurisdictionis sunt, potest alijs committere.

262 Præterea Episcopatum esse Sacramentum docuit S. Tho. 2.2. q. 39. ar. 3. dum ait in Episcopatu per consecrationem dari spiritualem potestatem, quam vocat Sacramentalem, & immobilem. Item lect. 3. in 2. ad Tim. 1. dicit Timotheum ordinatum Episcopum per impositionem manuum, in qua manus impositione data est ei gratia Spiritus Sancti, quam gratiam 2.2. q.184. ar. 5. vocat cum gl. gratiam Episcopalem, quod idem est, ac dicere, gratiam ex opere operato, quæ est propria Sacramenti; nam gratia ex opere operantis dici non potest Episcopalis, vt patet; cum hæc respiciat meritum personæ, non vim ordinis. Item 3. p. q. 84. ar. 4. enumerat omnia Sacramenta, in quibus adhibetur manuum impositio, & dicit hoc fieri ad designandum copiosum aliquem gratiæ effectum; postea deueniendo ad Sacramentum Ordinis, inquit, *in quo confertur quædam excellentia potestatis in diuinis mysterijs*; Vnde dicitur 2. Tim. primo *resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Ergo de mente S. Thomæ Episcopatus est Sacramentum; nam S. Tho. ad probandum in Sacramento Ordinis dari excellentiam potestatis, adducit ordinationem Timothei, quæ fuit ad Episcopatum, vt ipse S. Tho. exposuit, prout dictum est, quo S. Thomę argumento S. Conc. Tridentinum vsus est ad demonstrandum Ordinem esse Sacramentum.

263 Confirmatur, nam S. Tho. 4. c. g. Cap. 74. dixit spiritualem potestatem tradi hominibus sub quibusdam sensibilibus signis, inter hæc signa enumerat manuum impositionem, inunctionem &c. & concludit his verbis, quibus Concilium cap. 4. vtitur, *quandocumq; autem aliquid spirituale sub signo corporali traditur, hoc dici-*

tur

tur Sacramentum, *Manifestum est ergo*, *quod in collatione spiritualis potestatis quoddam Sacramentum peragitur*, *quod dicitur Ordinis Sacramentum*, sed in Episcopatu per manuum impositionem, & inunctionem traditur spiritualis potestas Sacramentalis, vt dixit S. Doct. 2. 2. q. 39. ar. 3. ergo S. Thomas docuit Episcopatum esse Sacramentum. Probatur hæc consequentia, nam D. Tho. docuit quandocumq aliquid spirituale sub signo corporali traditur, hoc esse Sacramentum; docuit præterea hanc rem spiritualem, quæ est Episcopatus, tradi sub signo corporali. Ergo docuit Episcopatum esse Sacramentum.

264 Dices S. Thomam in 4. vbi supra dixisse potestatem collatam Episcopo non habere rationem characteris; ergo negat Episcopatum esse Sacramentum; nam potestas tradita in Sacramento Ordinis habet rationem characteris, cum in eius collatione imprimatur character.

265 Resp. S. Thomam non dixisse Episcopatum non imprimere characterem, sed potestatem, quam recipit Episcopus, non habere rationem characteris, & propter hoc Episcopatum non esse Ordinem, secundum quod Ordo est Sacramentum; & quamuis in 4. d. 25. qu. 1. ar. 2. ad secundum dixerit Episcopatum dici non posse characterem, non tamen negauit absolutè esse characterem, cum ibidem hoc euidentèr concedat sub quadam limitatione, dicit enim, *tamen indelebilitèr manet* (*scilicèt potestas Episcopalis*) *sicut character*, *quia per consecrationem datur*, pro cuius doctrinæ intelligentia notandum est in sententia D. Thomæ Sacerdotium esse postremum Sacramentum Ordinis, prout in Sacerdotio completur tota potestas consecrandi Corpus Christi, quod videtur definiuisse Conc. Tridentinum in illo Can. 2. dum nullum alium Ordinem pertinentem ad Sacramentum Ordinis enumerat vltrà Sacerdotium; indè sequitur in potestate consecrandi Corpus Christi Episcopum non excellere Sacerdotem, vt dixit S. Tho. in 4.

& ad

& ad Anib. ibidem lib.4. c.g. & in op. 17. locis citatis.
266 Attamen S. Doctor potestatem Episcopalem dixit esse Sacramentalem, indelebilem, & immobilem, collatam per consecrationem peractam signis, & verbis, conferentem gratiam Episcopalem, a qua Sacerdotalis potestas deriuatur, & quæ post degradationem remanet, sicut remanent potestates aliorum Ordinum; quia potestas Episcopalis est potestas Ordinis. Ita in 4.d.25. q. 1. ar. 2. ad secundum 2.2.q. 39. & qu. 184. ar. cit. lect. 3. super secundæ ad Tim. 1. & op. 17. cap.24. vbi sic loquitur. *Idem patet ex hoc, quod si Episcopus depositus restituatur, non iterum consecratur tanquam potestate Ordinis remanente, sicut & in alijs contingit ordinibus*. Dum verò in 4. dist. 24. q. 1. ar. 2. qu. 2. ad secundum de alijs Ordinibus loquitur, dicit *in Clerico, qui ad laicatum se transfert, semper remanere characterem, quod patet ex hoc, quod si ad clericatum reuertatur, non iterùm characterem, quem habuerat, suscipit*. Ergo patet euidentèr de mente S. Doctoris potestatem Episcopalem habere rationem characteris, & Ordinis sicut habent cæteri Ordines, quamuis non habeat rationem Ordinis, prout Ordo dicit potestatem Sacerdotis ministrandi, & conficiendi Corpus Christi, quia si post depositionem Episcopus restituatur, non iterum consecratur, ergo in eius sententia in Episcopo remanet character; dixit enim, *sicut contingit in cæteris Ordinibus*, at in cæteris Ordinibus probat contingere, quod si Clericus ad laicatum translatus, iterùm ad Clericatum reuertatur, iterum characterem non suscipere, quia semper remanet character, quem habuerat, ergo sentit etiam in Episcopo semper remanere characterem, quem habuerat, & consequentèr pote-
267 statem Episcopalem habere rationem characteris. Idem dixit gl. cap. *Prouida*, de electione in 6. §. *Firmitatis*, vbi quod in Textu Papa decreuerat, consecrationem, scilicèt Episcopi, factam à temerè procedentibus nullius existere firmitatis, gl. explicat. *Credo quod cum*
Z *cha-*

character impressus fuerit animæ &c. verus Episcopalis Ordo collatus fuerit, sed non eius executio, & sic intelligam consecrationem esse nullius firmitatis quoad executionem. Cum verò character sit potestas, per quam homo ordinatur, & ad consecrandum Corpus Christi, & in ordine ad Corpus Christi misticum, inquit S. Tho. loco cit. ex dist. 25. in 4. Episcopalem potestatem dici non posse characterem, quia per eam non ordinatur homo directè ad Deum, hoc est ad Corpus
268 Christi verum, sed ad Corpus Christi misticum, & sic inquit, manet sicut character. Sed hac doctrina posita, aduertere debemus non Diaconum posse charactere Diaconatus, antequam inferioris ordinis characterem recipiat, insigniri, quod etiam dicere possumus de Sacerdotij charactere, qui imprimi potest non Diacono, seu quocumq; alio charactere Ordinis carenti, vt patet per Canones cap. p. *de Clerico per saltum promoto*, & docuit S. Tho. 4. d. 24. q. p. ar. 2. q. 5. communiter receptus. Ideoq; isti Ordines conferunt potestatem, qui est character, vt dicitur ibidem qu. 5. & ad secundum. Attamen Episcopalis potestas recipi nullo modo potest sine potestate, seu charactere Sacerdotali iam recepto; hoc enim est de necessitate Sacramenti, & consequentèr de Iure diuino, vt colligitur ex glos. d. cap. p. *de Cler. per saltum &c.* & cap. *ex litteris* de excessibus Prælat. & docent Theologi cum S.Tho.in 4.vbi supra q. 3. ar. 2. q. 2. in primo arg. s. c. Vndè in via D.Thomæ non dicitur potestas Episcopalis recepta alius character receptus præter Sacerdotalem. His tamen minimè obstantibus, docuit S. Tho.locis cit. potestatem Episcopalem habere omnes conditiones characteris, secundum quod per receptionem talis potestatis extenditur potestas Sacerdotalis ad officia specialia in ordine ad Corpus Christi misticum, scilicèt, ad conferendum quædam Sacramenta, & alia agendi, quæ ad Ordinem Episcopalem indispensabilitèr pertinent, quam potestatem dixit Sacramentalem 2.a.q.39. ar.3. & potestatem Ordi-

Ordinis op. 17. cap. 24. & conferre gratiam Epiſcopa-
269 lem 2.2.q.184.ar.5. & dari per conſecrationem 4.d.25. q.1.ar.2.ad ſecundum. Idem S.Thoma antiquior docuerat expreſſiùs Petrus Damianus, quem affert Grauina loco cit. Sicut ergo in collatione Sacerdotij non confertur nouus character, dum datur eidem Sacerdoti poteſtas abſoluendi à peccatis, ſed idem character extenditur ad illud munus vltra munus conſecrandi Euchariſtiam, ita in ſententia S. Thomæ cæteris paribus cum confertur poteſtas Epiſcopalis, non confertur nouus character, ſed extenditur character Sacerdotalis, quem de neceſſitate Sacramenti Epiſcopalis poteſtas ſupponit, ad munera, quæ huic poteſtati omnes conditiones characteris habenti ſunt neceſſario connexa. Vndè patet S. Thomam docuiſſe Epiſcopatum eſſe Ordinem, & Sa-
270 cramentum, quod priùs tradidiſſe videntur S. Gregorius Papa in primum Reg. lib. 4. cap. 5. S. Leo etiam Papa, vt habetur diſt.19. cit. alijq; ſummi Doctores, qui adduci ſolent in Commentarijs de hac materia editis. Idem innuitur in Sacris Canonibus tit. *de Sac. Vnctione*, dum agitur de Vnctione Epiſcopali per hæc verba.

Hæc ſi ſit viſibilis, & exterior, dicitur ſignum interioris, & inuiſibilis vnctionis. Vnctio verò inuiſibilis, & interior non dicitur ſolum ſignum, ſed etiam Sacramentum, quia, ſi dignè ſumitur, vel agit, vel auget abſque dubio, quod deſignat.



XXVII.

1 *Ex ſponſalibus irritis non oritur impedimentum publicæ honeſtatis.*
2 *Ex ſponſalibus irritis, cum S. Thomas ſcriberet, oriebatur impedimentum publicæ honeſtatis.*
3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Concluſio S. Thomæ attributa.

Ex ſponſalibus irritis non oritur impedimentum publicæ honeſtatis.

271 

TA S. Thomas 4. d. 41. q. 1. ar. 1. q. 4. ad tertium vbi ſic ait. *Omnia impedimenta, quæ faciunt ſponſalia non eſſe ſponſalia, non permittunt ex pactione nuptiarum affinitatem fieri. Vndè ſiuè habens defectum ætatis, ſiue habens Votum ſolemne continentiæ, aut aliquod huiuſmodi impedimentum, ſponſalia de facto contrahat, ex hoc non ſequitur aliqua affinitas, quia ſponſalia nulla ſunt, nec aliquis affinitatis modus.*

Con-

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita.

Ex sponsalibus irritis, cum S. Thomas scriberet. oriebatur impedimentum publicæ honestatis.

272 NAM Alexander III. qui D. Thomam præcessit, & habetur de sponsalibus &c. Cap. *Ad audientiam*, decreuit ex irritis sponsalibus oriri impedimentum publicæ honestatis, quod impedimentum confirmauit Bonifacius VIII. de sponsalibus Cap. vnico in 6. sed abstulit Sac. Conc. Trid. sess. 24. de Reformat. Matrimonij cap 3.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

273 RESP. S. Thomam nihil scripsisse, quod esset contrarium præfato Decreto Alexandri III. Vt id clarè pateat, negàmus S. Doctorem dictum Decretum non vidisse, quod dixit Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 68. num. 5. negamus prætcrea superstite S. Doctore illud Decretum non fuisse in vsu; nam in q. supra allegata in arg. s. c. S. Doctor meminit illius Decreti, quod non fecisset, si illud non vidisset, seu per non vsum nullam illius rationem habere debuisset; neque putamus Alexandrum Pontificem locutum in illo Capite fuisse non de sponsalibus, sed de matrimonio rato, ex quo impedimentum publicæ honestatis oriri declarauerit, vt dixit Basilius de Matrim. lib. 7. cap. 36. num. 3. qui insuper existimat ante Bonifacij VIII. Decretalem supra adductam nullam extitisse legem de impedimento publi-

publicæ honeſtatis ex ſponſalibus proueniente; nam S. Tho. vbi ſup. in corp. ad primum dixit impedimentum, quod vocat *modum affinitatis, & publicæ honeſtatis iuſtitiam*, Eccleſiæ præcepto induci ex ſponſalibus, quæ diſtinguit in reſp. ad ſecundum à matrimonio rato; Tandem aliorum varias ſolutiones, quas breuitatis cauſa omittimus, non recipimus, quia difficultatem motam non euacuant.

274 Ad euidentiam ergo veritatis doctrinæ S. Thomæ ſciendum eſt S. Doctoris mentem fuiſſe ex ſponſalibus nullis non oriri impedimentum publicæ honeſtatis, quando ſponſalia nulla ſunt, & hi, qui contrahunt, ea nulla eſſe benè ſciunt, vndè in eis non cenſentur conſentire, & hæc ſponſalia dicuntur nulla etiam ex defectu conſenſus contrahentium, de his ſponſalibus loquitur S. Doctor, vt patet ex ipſius Textu; nam ſponſalia, in quibus nullum eſt impedimentum irritans, ſunt ſponſalia pura, & certa; ſponſalia verò, in quibus eſt impedimentum irritans, ſed ignoratur, quamuis ſint nulla, ſunt tamen aliquo modo ſponſalia, hoc eſt, ſponſalia præſumptiuè; quia in eis non deeſt conſenſus contrahentium, & ex his ſponſalibus quamuis nullis S. Tho. non negat quod ſuo tempore non oriretur impedimentum publicæ honeſtatis iuxtà Alexandri III. declarationem, quæ emanauit in caſu, quo quidam ſpoponderat filiam ſuam alteri, & poſtea cognouit ſponſos eſſe conſanguineos, quod prius ignorabat, ſed ſponſalia, in quibus eſt impedimentum irritans, quod ſcitur à contrahentibus, vel ab altero illorum; ſunt nulla etiam ex defectu conſenſus; non enim præſumitur conſentire in ſponſalia, qui ſcit illa eſſe irrita ex impedimento ſibi noto. Vndè hæc ſponſalia ex defectu conſenſus nulla, abſolutè, & omnibus modis dicenda ſunt non eſſe ſponſalia, quia nec præſumptiuè ſponſalia reputantur, & ex his ſponſalibus ex defectu conſenſus nullis, negabat S. Tho. oriri impedimentum publicæ honeſtatis, dum dixit huiuſmodi impedimentum non oriri ex ſponſalibus,

bus, quæ non sunt sponsalia, quod est omninò conforme menti Alexandri III. vt postea explicauit Bonifacius VIII. vbi supra per hæc verba. *Ex sponsalibus puris, & certis &c. aut alia quauis ratione sint nulla, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur impedimentum iustitiæ publicæ honestatis.*

275 Hanc explicationem sumpsit fortasse Bonifacius Pontifex ex S. Th. doctrina; nam ex illa euidentèr conijcitur, in resp. enim ad tertium supracit. inquit S. Doctor: *Si tamen aliquis minor, frigidus, vel maleficiatus habens impedimentum perpetuũ ante annos pubertatis post septemniũ contrahat sponsalia cũ adulta, ex tali contractu contrahitur publicæ honestatis iustitia, quia adhuc non erat in actu impediendi, cum in ætate puer frigidus, & nõ frigidus quantum ad actũ illũ fuerit æqualitèr impotens*, ex hac doctrina colligitur S. Thomam voluisse impedimentum publicæ honestatis oriri ex sponsalibus nullis, quando quod essent nulla à cõtrahentibus ignorabatur; nam ipse docet vbi supra, ex sponsalibus contractis inter puerum septemnem perpetuò frigidum, seu maleficiatum, & adultam, quamuis ex illo perpetuo impedimento irritis, oriri impedimentum publicæ honestatis, quia in puero illius ætatis illud frigiditatis impedimentum prorsùs ignorabatur. Ergo in sententia S. Tho. si ignoratur impedimentum, per quod irritantur sponsalia, & consequentèr non desit consensus contrahentium, ex Decreto Alexandri III. oritur impedimentum publicæ honestatis; si verò sciretur à contrahentibus impedimentum illud, tunc ex talibus sponsalibus nullis, & irritis non emersisset in sententia S. Thomæ dictum impedimentum, quia hæc sunt illa sponsalia, quæ ipse dixit non esse sponsalia, hoc est nec pura, & certa, nec præsumptiuè sponsalia, cum omninò careant contrahentium consensu: quæ S. Thomæ sententia canonizata postea fuit à Bonifacio VIII. vt ex supradictis patet.

XXVIII.

1 ***Ex Matrimonio rato oritur affinitas.***

2 ***Ex Matrimonio rato non oritur affinitas, sed publicæ honestatis iustitia.***

3 ***S. Thomæ doctrinæ veritas:***

Conclusio, quæ S. Thomæ. attribuitur.

Ex Matrimonio rato oritur affinitas.

276 TA S. Tho. 4. d. 41. quæst. 1. art. 1. quæst. 4. ad secundum, vbi sic ait. *Sed matrimonium affinitatem causat, non solum ratione carnalis copulæ, sed etiam ratione Societatis coniugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est; vndè & affinitas contrahitur eo ipso contractu Matrimonij per verba de præsenti ante carnalem copulam, & similitèr etiam ex sponsalibus, in quibus fit quædam pactio coniugalis, contrahitur aliquid affinitati simile, scilicèt, publicæ honestatis iustitia.*

Con-

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita.

Ex Matrimonio rato non oritur affinitas sed publicæ honestatis iustitia.

277 SAcram Congregationem S. Concilij Interpretem sub Clemente VIII. duo declarasse contra prædictam S. Thomæ doctrinam fertur, scilicet, (primum) quod affinitas non contrahatur, nisi ex carnali copula, (secundum) quod ex Matrimonio rato non inducatur impedimentum affinitatis, sed publicæ honestatis, quod etiam fortasse definiuit Pius V. in suo motu proprio, quod incipit *ad Romanum*, & habetur in Bullar inter eius Constit. nu. 62. decernendo impedimentum ablatum per Conc. Tridentinum à sponsalibus perseuerare in Matrimonio rato, etiamsi irritum, & nullum fuisset, vt plures docent Authores, quos congerit Diana p. 9. Tract. 6. Miscel. resol. 50. contra nostrum Texedo Theol. moral. Tom. 2. lib. 4. Tract. 2. §. 7. cont. 21. num. 24. sed Concilium vbi supra abstulit à sponsalibus impedimentum publicæ honestatis; ergo hoc impedimentum publicæ honestatis, & non affinitatis perseuerat in Matrimonio rato ex decisione Pontificis. Videndus Farinac. ad Cap. 3. Conc. Tridentini sess. 24. de Reformat. Matrimonij.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

278 REsp. primo Aldanum in Compend. Canon. decis. lib. pr. tit. 8. num. 40. apud Barbos. in Collec. Con. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 4. num. 9. testari Sac. Cong. Sac. Concilij Interpretem 27. Augusti 1617.

decidisse affinitatis impedimentum vsque ad quartum gradũ oriri ex Matrimonio rato non consummato; quod colligi etiam ex dicto Motu proprio Pij V. tenent idem Aldan. & Barbosa vbi supra, & in Collect. decis. Apostol. Collec. xvj. Verbo *Affinitas*.

279 Resp. 2. hanc quæstionem, scilicet, *Vtrum ex Matrimonio rato sequatur affinitas, vel publicæ honestatis iustitia*, esse de solo nomine secundum opinionem plurium grauissimorum Doctorum Theologorum, & Canonistarum, quos congerit Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 64. nu. 23. & confirmari potest ex Cap. *Discretionem tuam*, & Cap. *Tuæ Fraternitatis*, de eo qui cognouit Consang. vbi, quod in Textu dicitur *publica honestas*, glos. interpretatur *affinitas*.

280 Sed quicquid sit de quæstione de nomine, & admissa illa priori declaratione Cong. Sac. Conc. Interpretis Resp. 3. certum esse affinitatem posse sumi dupliciter, scilicèt, propriè, & impropriè; Affinitas propriè accepta non est sine carnali copula, & per seminum commistionem. Ita docet S. Tho. 4. d. 41. q. 1. ar. 1. q. 3. & 4. ad secundũ. Impropria verò affinitas est quoddam initium affinitatis propriæ, quæ oritur ex Matrimonio rato, & ex sponsalibus; ex istis quidem remotiùs, quia includunt tantùm simplicem pactionem coniugij futuri, sed proximiùs oritur hæc affinitas ex Matrimonio rato, in quo interuenit per verba de præsenti mutua traditio corporum facta inter Coniuges; quapropter S. Tho. in illa qu. 4. inquit ex sponsalibus sequi affinitatem, quam in responsionibus ad argumenta vocat iustitiam publicæ honestatis, & dicit publicam honestatem esse aliquid simile affinitati, quæ contrahitur in Matrimonio rato, ex quo patet S. Thomam tunc sumpsisse affinitatis nomen in impropria acceptione, & prout coincidit cum iustitia publicæ honestatis, & est distincta ab affinitate, quæ contrahitur ex carnali copula: Eodem modo, quo loquitur S. Tho. loquuntur plures Theologi, & Canonistæ, vt refert idem Sanchez vbi supra num. 24. qui

pari-

pariter sentiunt oriri ex Matrimonio rato quandam affinitatem. Ideoq; dum in Clement. vnica de Consangu. excommunicatur, qui, cum sint affines, Matrimonium contrahunt, aliqui Doctores tenent excommunicari etiam illum, qui contraxit Matrimonium cum consanguinea Vxoris defunctæ, v. g. cum sorore illius, cum qua prius contraxerat, sed non consumauerat Matrimonium: nam tenent ex hoc Matrimonio rato induci quandam affinitatem in illo Canone; cum de affinitate simpliciter, & nulla adhibita limitatione de propria, seu impropria affinitate, Canon loquatur, vt idem Sanchez retulit disp. 48. nu. 14. intentam

281 Si ergo Sac. Congregatio declarauit affinitatem non contrahi nisi ex carnali copula, intelligendam esse putamus de affinitate propria, vt etiam docuit S. Tho. loco supra designato; non enim existimamus Sac. Congregationem damnare voluisse tot insignes Theologos, & Canonistas, qui affinitatem impropriam dixerant oriri ex Matrimonio rato; cum Sac. Cong. semper doctè, & prudentèr procedendo eligat sequi non damnare communem sensum Doctorum.

282 Sed dato etiam, quod Pius V. & Sac. Congregatio decreuissent ex Matrimonio rato nullum induci impedimentum affinitatis, hoc non pugnat cum S. Thomæ doctrina tradita, nam S. Tho. nunquàm dixit affinitatem illam, quam censuit oriri ex Matrimonio rato, esse impedimentum ad contrahendum, maximè cum in eius sententia benè possint duo esse affines, & impediri à contractu Matrimonij magis propter iustitiam publicæ honestatis, quam propter affinitatem; Ita docet S. Tho. vbi supra quæstiuncula 5. ad primum, & art. 2. quæstiuncula 2. ad secundum. Dato ergo quod ex Matrimonio rato duo sint quodammodo affines, si Vir contrahere velit cum sorore illius, cum qua Matrimonium tantùm ratum contraxerat, impediri poterit in sententia S. Thomæ, non ab affinitate illa inducta per Matrimonium ratum, sed à iustitia publicæ

honestatis, prout Pius V. vbi supra statuisse creditur; & à quibusdam dicitur Sacram quoque Congregationem declarasse. Constat ergo S. Thomam nihil dixisse, quod vel Pij V. definitioni, vel Sac. Congregationis declarationi opponatur, immo patet ex eius doctrina optimè conciliari præadductas declarationes eiusdem Sacræ Congregationis, quæ videbantur inter se esse discordes.



Papa

XXIX.


1 *Papa non potest dispensare in Matrimonio rato extra casum professionis Monasticæ.*

2 *Quod contra S. Thomæ doctrinam adducitur.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Papa non potest dispensare in Matrimonio rato extra casum Professionis Monasticæ.

283 TA S. Tho. 4. dist. 33. quæst. 2. art. 2. quæst. 1. ad 3. per hæc verba. *Inseparabilitas, quamuis sit de secunda intentione Matrimonij prout est in officium naturæ, tamen est de prima intentione ipsius prout est Sacramentum Ecclesiæ, & ideò ex quo institutum est, vt sit Ecclesiæ Sacramentum, manente tali institutione, non potest sub dispensatione cadere, nisi fortè secundo modo dispensationis,* scilicet, per causam supernaturalem; sicut in miraculis accidit, vt dixerat in cor. illius art.

Quod

Quod contra S. Thomæ doctrinam adducitur.

284 VErum Papam dispensare posse in Matrimonio rato etiam extra casum Professionis Monasticæ, ipsi Summi Pontifices decreuere de facto, cum in Matrimonio rato extra dictum casum pluries dispensauerit, vt refert ex nostro S. Antonino Archiepiscopo Florentino Caietanus Tomo 1. opusc. tract. 28. quæst. vnica de Martino V. & Eugenio IV. quibus Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 14. num. 2. addidit Paulum III. Pium IV. & Gregorium XIII. quem vnica die cum vndecim dispensasse narrat ex Henriquez. Vide Dianam part. 8. trac. 1. resol. 62.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

285 COntrouersia grauissima est inter Doctores de hac Summi Pontificis potestate in dispensando super matrimonio rato extra casum professionis solemnis, partem negatiuam esse probabilissimam, & speculatiuè probabiliorem dicit Corneio Trac. de Matrimon. disp. 6. dub. 4. affirmans eam docere communiter Theologos cum Mag. 4. dist. 27. cuius sententiæ fuit etiam Scotus ibi dist. 31. quæst. 1. §. *Tertio modo dici potest*, & ex recensioribus Basilius de Matrim. lib. 9. cap. 3. Siluius in addit. ad 3. part. quæst. 61. art. 2. §. *Quæri hic potest*, alios opinionis huius patronos adducit Sanchez vbi supra in magno numero.

Verùm vtrum S. Thomas negatiuam partem prosecutus fuerit, vel potiùs affirmatiuam elegerit, dissentiunt inter se clariores Thomistæ in hac Controuersia pariter dissidentes.

Caie-

286 Caietanus S. Thomæ eximius Interpres vbi supra vult S. Thomam docuisse Papam dispensare posse in Matrimonio rato etiam extra casum professionis monasticæ, quod probat per hæc verba. *S. Thomas quoque in 4 dist. 27. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. expressè dicit duo notanda ad propositum. Primum est in resp. ad 1. quod quia Matrimonium contractum significat coniunctionem singularem inter Christum, & animam, & hæc est solubilis; ideo religionis ingressus aufert Sacramentum. Secundum est in resp. ad 3. quod Matrimonium contractum tantum non est perfectum; ideo non habet omnimodam indiuisibilitatem.* Ex his deducit Caietanus S. Thomam docuisse super Matrimonio rato etiam extra casum professionis Monasticæ posse à Papa dispensari; nam si matrimonium non consummatum esset indissolubile authoritate Papæ, hoc ideò esset quia omnimoda indissolubilitas esset de ratione huius matrimonij, sed hoc esse falsum docet S. Tho. ergo &c. falsitas probatur, quia prout S. Tho. dicit, Matrimonium ratum non est perfectum, nam significat coniunctionem animæ ad Christum per gratiam, quæ est solubilis, ergo falsum est in sententia S. Thomæ matrimonium ratum habere omnimodam indissolubilitatem, ergo cum Caietano dicere benè possumus in sententia eiusdem S. Doctoris Matrimonium ratum posse à Papa dispensari etiam extra casum professionis Monasticæ.

287 Ad locum adductum ex S. Doctore in contrarium respondet ibidem Caietanus, S. Doctorem loqui de Matrimonio consummato, vt manifestè patet, & ex art. præcedenti in responsione ad 2. conuincitur.




In

XXX.

1 *In Canonizatione Sanctorum piè tantum creditur Ecclesiam, seu Summum Pontificem errare non posse.*
2 *Conclusio existimata S. Thomæ contraria.*
3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

In Canonizatione Sanctorum piè tantum creditur Ecclesiam, seu Sum. Pontificem errare non posse.

288 TA S. Tho. quodl. 9. ar. 16. per hæc verba. *Canonizatio verò Sanctorum medium est inter hæc duo; quia tamen honor, quem sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, piè credendum est quod nec etiã in his iudicium Ecclesiæ errare possit.*

Con-

Conclusio existimata S. Thomæ contraria.

289 SEd quod non tantum piè, sed etiam de fide credatur Ecclesiam, seu Romanum Pontificem errare non posse in Canonizatione Sanctorum est modo apud Doctores constans sententia, ita vt quidam oppositum dicant hæreticum, omnes saltem scandalosum, impium, temerarium, atque quodammodò hæresim sapiens pronuncient. Ita apud Dianam recensitos Doctores sensisse legimus in Trac. de infallibilitate Decretorum Romani Pontificis extra Concilium resol. 15. 16. 18. & 19.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

290 ETiam S. Tho. dixit ad fidem pertinere Papam in Canonizatione Sanctorum errare non posse, quod in dicto quodl. in quo de hac Controuersia tantum egit, adeò clarè expressit, vt Doctores, qui id probare contendunt, non alijs vtantur validioribus argumentis, quam his, quibus in dicto quodl. S. Thomas vsus est.

291 Argumentum, quod communitèr assumitur ad probandum, quod si Papa errare posset in Canonizatione Sanctorum, sequeretur hoc maximum inconueniens, scilicèt, quod posset etiam tota Ecclesia errare. Est primum argumentum *sed contra* S. Thomæ in præfato quodl. quod ipse concedit secundum doctrinam corporis; ideoque illud non soluit, & inconueniens, dato antecedente, admittit, vndè sequitur quod illud Antecedens censuit impossibile.

292 Argumenta in contrarium, quibus magis apparen-

ter probatur in Canonizatione Sanctorum Papam errare posse, duo præcipua ab omnibus adducuntur, primum est, quia Papa innititur in Canonizatione Sanctorum testimonio humano tanquam medio; hoc autem testimonium est fallibile, ergo & erit fallibilis canonizatio, quæ huic testimonio innititur, secundum est, quia nemo potest esse certus de statu salutis aliorum magis quam de statu salutis propriæ; sed de statu propriæ salutis nemo certus esse potest, ergo nec Papa potest esse certus de salute Sanctorum quos canonizat.

293 His duobus argumentis respondet ibidem S. Tho. & eius solutionibus vtuntur Doctores, dum probant Canonizationem Sanctorum esse de fide, vt testatur, & præstat Diana vbi supra resol. 16. scilicet, Papam errare in Canonizatione Sanctorum non posse, quia vt dicit S. Tho. ad 2. ad diuinam prouidentiam spectat præseruare Ecclesiam ne à testimonio humano fallibili in hoc negocio fallatur, & quia Pontifex certificatur de statu Sanctorum; quos canonizat, præcipuè per instinctum Spiritus sancti, qui *omnia scrutatur etiam profunda Dei*, vt dicit S.Tho. ad 1. Ergo iam clarè patet S.Thomam sensisse cum allatis Doctoribus Canonizationem Sanctorum esse de fide, cum eius rationes, & solutiones in eorundem Doctorum sententia id euidentèr conuincant.

294 Cum verò S.Tho. dixit in corp. art. illius quodl. *piè credendum est in Canonizatione Sanctorum Ecclesiam errare non posse*, ly piè non significat in cuiuscumque potestate esse id credere, vel non credere, ideoque illud non esse de fide, sed potiùs oppositum, scilicet, de fide esse credendum in Canonizatione Sanctorum Ecclesiam errare non posse. Verùm quia id non est adhuc ab Ecclesia decisum, & plures Doctores graues sæculo, quo viuebat, oppositum tenebant, vsus est S.Tho. hoc sincathegoremate *piè*, quo significaret non ad debitum vsque modo explicitè per Ecclesiam impositum, sed ad pietatem fidelium pertinere, quod rationibus prædi-
ctis

ctis conuicti credant explicitè, vt verè credendum est, de fide esse Ecclesiam in Canonizatione Sanctorum errare non posse; innuens tamen sub hoc pietatis nomine se existimasse id omninò de fide esse credendum; pietas enim, quæ pertinet ad cultum Dei, vt docet idem S. Tho. 2. 2. quæst. 45. art. 1. ad 3. *Est manifestatiua fidei in quantum per cultum Dei protestamur fidem*. Erit ergo pietas manifestatiua nostræ fidei, si piè credimus Ecclesiam in Canonizatione Sanctorum, in qua præcipuè cultus sanctis debitus approbatur, errare non posse, quia per hanc nostram piam credulitatem protestamur fidem, quæ ad id asserendum nos inclinat, & hoc S. Tho. expresse in supradicto art. dixit per illa verba, *quia honor, quem sanctis* (vtique canonizatis) *exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum* (*vtique canonizatorum*) *gloriam credimus, piè credendum est &c.* hoc est, hac pietate, qua credimus iudicium Ecclesiæ errare non posse in Canonizatione Sanctorum manifestamus, & protestamur fidem, qua eorum gloriam credimus.

195 Ex dictis patet quænam fuerit S. Thomæ mens in hac Controuersia de Canonizatione Sanctorum; nam vt diximus, in illo art. quodl. 9. vbi tantùm de hac Controuersia egit, satis apertè docuit Canonizationem Sanctorum ad fidem pertinere. Hoc colligitur 1. ex argumentis *sed contra*, quibus probatur esse de fide Ecclesiam errare non posse in Canonizatione Sanctorum, quæ S. Tho. admittit, illis ergo concessit intentum. Secundo quia soluendo duo argumenta, quibus probatur in initio articuli id non esse de fide, quæ sunt validiora oppositum sentientium fundamenta, firmat Ecclesiam per instinctum Spiritus sancti sanctos declarare, & in hoc errare non posse, quia præseruatur à diuina prouidentia ne fallatur; hoc autem nihil aliud est, quam dicere esse de fide sanctos habendos esse, quos Sanctos Ecclesia declarauit; cum de fide sit Ecclesiam errare non posse in ijs, in quibus præ-

seruatur à diuina prouidentia ne fallatur.

295 Præterea mens D. Thomæ adhuc manifestius elicitur ex doctrina corporis illius articuli; nam si benè perpendatur, ibi euidentèr tradit Ecclesiam in Canonizatione Sanctorum errare non posse; Dicit S. Tho. possibile secundum se consideratum, si referatur ad aliquod extrinsecum, impossibile inueniri: Vndè deducit iudicium eorum, qui præsunt Ecclesiæ, quòd errent vt personæ particulares, esse possibile, sed esse impossibile, quod errent, vt personæ repræsentantes Ecclesiam vniuersalem, vt est Papa definiens; tunc enim eorum iudicium est iudicium Ecclesiæ Vniuersalis, quod refertur ad diuinam prouidentiam, qua Spiritus Sanctus Ecclesiam suam dirigit, vt non erret in ijs, quæ ad fidem pertinere decernit; In ijs verò, quæ pertinent ad facta particularia, inquit, iudicium Ecclesiæ errare posse propter falsos testes, innuens hoc iudicium non referri ad illam diuinam prouidentiam, & ad illam Spiritus Sancti assistentiam, qua posita, Iudicium Ecclesiæ impossibile est quod erret. His positis, docet S. Tho. Canonizationem Sanctorum mediam esse inter prædicta, quia, scilicèt, participat de impossibilitate errandi, quam habet Ecclesia in ijs, quæ ad fidem pertinere decernit, cum in Canonizatione Sanctorum dirigatur à diuina Spiritus Sancti prouidentia; participat verò de possibilitate errandi, quia in Canonizatione Sanctorum vtitur testimonio humano, quod est fallibile, postea statim excludit hanc possibilitatem errandi ab Ecclesia Sanctos canonizante his verbis: *quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus*, Sanctis (vtiq; per Ecclesiam canonizatis) cum non liceat non canonizatis, vel saltim non beatificatis honorem exhibere, *quædam professio fidei est, qua Sanctorum*, vtique canonizatorum, *gloriam credimus, piè credendum est, quod nec etiam in his iudicium Ecclesia errare possit*, ac si diceret, ex pietate, qua nostra fides manifestatur, & qua fidem profitemur, credimus Ecclesiam in Canonizatione

San-

Sanctorum errare non poſſe; id enim pietatis nomen in ſententia S. Thomæ importat, vt ſupra explicauimus.

297 Præterea S. Tho. in eodem corp. art. dicit poſſibile eſſe iudicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes, innuens quod Eccleſia ſi errare poſſet in Canonizatione Sanctorum, hoc oriretur ex eo, quod in hoc negotio innititur medio fallibili, quod eſt teſtimonium humanum, vt in argumento 2. aſſerebatur. Sed in S. Thomæ ſententia non poteſt Eccleſia falli per teſtes fallibiles in Canonizatione Sanctorum. Ergo de S. Thomæ mente Eccleſia errare non poteſt in Canonizatione Sanctorum. Minor probatur, nam S. Tho. docet in corp. illius art. tunc Eccleſiam errare non poſſe, cum conſideratur diuina prouidentia, quæ Eccleſiam ſuam Spiritu Sancto dirigit, vt non erret, ſed etiam docet, quod diuina prouidentia conſideratur ne Eccleſia ab humano teſtimonio fallibili fallatur in Canonizatione Sanctorum; nam, inquit in reſp. ad ſecundum eandem Eccleſiam certificari de ſtatu Sanctorum, quos canonizat, præcipuè per inſtinctum Spiritus Sancti, vt dicit in reſp. ad primum. Ergo S. Tho. docet Eccleſiam falli non poſſe per falſos teſtes in Canonizatione Sanctorum, & conſequenter docet certum eſſe de fide Papam errare non poſſe in Canonizatione Sanctorum.

Exi-

XXXI.

1 *Existens in peccato mortali (etiam occulto) peccat mortaliter faciens ex officio correctionem fraternam.*

2 *Conclusio quæ censetur S. Thomæ opposita.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Existens in peccato mortali (etiam occulto) peccat mortaliter faciens ex officio correctionem fraternam.

298 

TA S. Tho; 4. d. 19. qu. 2. art. 2. quæst. 2. c. per hæc verba. *Ille autem, qui est in peccato mortali, etiam occulto, indignè vtitur officio prælationis, vnde peccat corripiendo, vel quicquid aliud proprij officij exequatur.* Idem dicit de prædicationis officio ad quartum.

Con-

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita.

299 HÆc S. Thomæ sententia non est tenenda, inquit Diana par. 7. Tract. 3. resol. 14. & 17. Insuper falsa communitèr ab ipsis Thomistis esse censetur; immò oppositum ipse S. Doctor dixit 2.2. q. 33. ar. 5. & q. 60. art. 2. ad tertium. Item Matth. 7. Io. 8. lect. 3. Rom. 2. lect. 1. & in cap. 6. 2. ad Cor. lect. 1. solum peccatorem publicum, ait, peccare si prædicet, quibus in locis sententiam prædictam retractasse dicit Siluius super q. 64. ar. 6. 3. p. §. *quær. p. concl.* 8. & super illam q. 60. 2.2. quod etiam insinuat Io. de S. Tho. in Tract. de Approbatione Doctrinæ S. Thomæ art. 4. §. *De alijs Propositionibus*.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

300 SEd mihi videtur S. Thomam in eadem sententia semper fuisse constantem; nam, vt benè aduertit Bergomensis in Concordantijs dub. 796. cum S. Tho. dixit Prælatum existentem in peccato etiam occulto peccare faciendo ex officio correctionem fraternam, non loquitur de quocunq; Prælato etiam Laico, de quibus loquitur in locis posteriùs adductis, sed loquitur de Prælato Sacro, qui indignè vtitur officio sacræ Prælationis, & Ecclesiastici ministerij, vt patet in corp. illius quæstiunculæ, & ad primum Prælatus verò exhibendo se Ministrum Ecclesiæ, dum est in peccato mortali, peccat.

301 Ergo docet S. Tho. quod si Prælatus Sac. Parochus, vel alius quisque Ecclesiæ Minister exercendo Sacrum Ministerium, dum est in peccato mortali faciat fraternam correctionem, non rectè vtitur officio Prælationis sacræ;

sacræ; non rectè autem vti officio Prælationis sacræ esse non potest sine aliquo peccato saltìm veniali; (nam quod hoc sit peccatum mortale S. Tho. nunquam dixit) in quo decipiuntur qui S. Thomæ aduersantur. Idem dici solet de Prælato, si dum est in peccato mortali, impediret, in peccato corripiendo, fratris correctionem, quam tenetur ex officio procurare, veluti peccat, qui dum in peccato existit etiam occulto, docet ex officio prælationis Sacram Scripturam, ita impediendo finem Sacræ Scripturæ, qui est vt homines ad vitam æternam perueniant, prout dixit idem S. Tho. in eadem q. ad quartum.

302 Sed si sacer Prælatus in peccato existens vsu officij Prælationis corriperet fratrem suum animo se emendandi de peccato proprio, ac resipiscendi à culpa, quam in fratre detestatur, *Sic corripere potest*, inquit S. Tho. super septimum Cap. Matth. *quia quod corripit in alio, corripit in seipso*.

303 Quod hic dicitur de Correctione applicandum est prædicationi in ordine ad eos, qui vsu officij sui prædicationis munus exercent, vt Episcopus, Parochus &c. ex 3. p. q. 67. ar. 1. ad primum.



Reli-


XXXII.

1 *Reliquiæ Sanctorum, quas veneratur Ecclesia, vt ossa, corpora &c. non sunt illa, quæ in viuis fuerunt, sed alia, nouæ planè substantiæ, quæ nunquam Sanctorum fuerunt.*

2 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio D. Thomæ attributa:

Reliquiæ Sanctorum, quas veneratur Ecclesia, vt ossa, corpora &c. non sunt illa, quæ in viuis fuerunt, sed alia, nouæ planè substantiæ, quæ nunquam Sanctorum fuerunt.

30 

TA' S. Tho. 3. par. quæst. 25. art. 6. ad tertium, cui communiter contradicitur, prout Achademiam Parisiensem declarasse quidam referunt.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

305 SED S. Thomæ mens est satis aperta in suis verbis, quæ ideo per extensum adducimus. Inquit S Doctor 3. p. vbi supra. *Ad tertium dicendum quod corpus mortuum alicuius Sancti non est idem numero, quod primo fuit, dum viueret, propter diuersitatem formæ, quæ est Anima. Est tamen idem identitate materiæ, quæ est iterum suæ formæ vnienda*, & quæst. 50. art. 2. ad secundum inquit. *Habet autem caro ab anima, quod pertineat ad humanam naturam, etiam postquam anima separatur ab ea, inquantum, scilicet, in carne mortua remanet ex diuina ordinatione quidam ordo resurrectionis.*



Bea-

XXXIII.

1 *Beatitudo animæ post diem Iudicij resumpto corpore augebitur intensiuè.*

2 *Beatitudo animæ post diem Iudicij resumpto corpore non augebitur intensiuè.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Beatitudo animæ post diem Iudicij resumpto corpore augebitur intensiuè.

306 

TA S. Tho. 4. d. 49. qu. 1. art. 4. quæst. 1. per hæc verba. *Potest etiam dici quod etiam beatitudo Animæ ipsius, (scilicet resumpto corpore post Iudicium) augebitur intensiuè.*

Conclusio quæ censetur S. Thomæ opposita.

Beatitudo Animæ post diem Iudicij resumpto corpore non augebitur intensiuè.

307 ITA ipsemet S. Tho. 1. 2. qu. 4. ar. 5. ad quintum per hæc verba, *& ideo corpore resumpto Beatitudo crescit non intensiuè, sed extensiuè*. Ideoq; communitèr Thomistæ cum Caiet. vbi supra, & supl. q.93. ar.p. seu in 4. d.49. q.1. ar.4. q.1. tenent S.Thomam à priori Conclusione recessisse.

308 Bellarminus verò Contr. Tom.2. De Sanctorum Beatitudine lib. p. cap. 5. inquit, priorem Conclusionem esse magis ad mentem Augustini, Hieronymi, & Bernardi; oppositam verò Conclusionem esse veriorem; & ideo S. Thomam rectè mutasse sententiam. Addit posteriorem Conclusionem videri definitam à Benedicto XII. nam hic Pontifex in Extrauag. *Benedictus Deus*, dicit *continuare visionem Dei, quam habent Animæ à morte corporis, vsq; ad resurrectionem, & indè vsq; in æternum*, vbi videtur dicere eam non crescere, neq; minui, quod confirmat testimonio Ioannis Villani, qui viuebat sub Benedicto XII. Hic suarum Historiarum lib.11.cap. 19. testatur se audiuisse à Theologis, qui interfuerunt cum id definiretur, Benedictum definiuisse Animarum gloriam non augendam post resurrectionem nisi extensiuè. Ergo secundum Bellarm. sententia S. Thomæ, quam in 4. sectatus fuerat, & est magis ad mentem SS. Patrum Hieron. Augustini, & Bernardi, videtur damnata, cum opposita videatur ab Ecclesia definita.

S.Tho-

S. Thomæ doctrinæ veritas.

309 S. Thomas nunquam adhæsit priori Conclusioni, vt rectè aduertit Caietanus 1.2. loco cit. his verbis. *Et quoniam cæteris paribus operatio attentior est magis intensa, & minus habens intensionis est remissior vt patet in visu, & auditu. Ex hoc sequitur quod anima beata resumpto corpore est beatior intensiuè, non ex parte obiecti, aut luminis gloriæ, sed ex parte attentioris visionis, consequente perfectionem animæ in essendo, & hanc viam tanquam probabilem sustineri posse dixit Auctor in 4. sent. vbi incboans huiusmodi intensionem dicit. Potest etiam dici quod etiam beatitudo intensiuè &c. Verum hanc opinionem in hoc loco vt falsam negauit, ipsaque negatione ex sua officina illam haberi minimè voluit.* Hucusque Caietanus, vbi expresse docet S. Thomam ideo vsum fuisse illo modo loquendi. *Potest etiam dici quod animæ beatitudo intensiuè augebitur resumpto corpore*, non quia ipse id approbaret, sed quia id erat magis ad mentem Sanctorum Patrum Augustini, Hieronymi, & Bernardi, actualiterque dicebat S. Bonauentura, qui ratione, quam adducit, conuincebantur; in summa verò suam sententiam expressisse, negando omne augmentum intensiuum in beatitudine animæ resumpto corpore.

310 Sed perpendat doctus Theologus vtrum illa sententia, quæ hoc beatitudinis intensiuum augmentum astruit, videatur damnata à Benedicto XII. in præcit. extrauag. prout Bellarm. asseruit. Nam apud Doctores non inuenitur communiter damnata existimata, neque in illa extrauag. neque in Conc. Florent. sess. vlt. in fin. neque alibi; Villani quoque testimonium non admodum vrget: Emericus enim Direct. par. 2. quæst. 8. vbi decem errores damnatos in dicta Extrauag. recen-

set,

ſet, non numerauit inter damnatos errores ſententiam præfatam, Penna quoque part. 2. eiuſdem Direct. ſuper dictam Extrauag. Com. 21. de hac damnatione nullam mentionem fecit, vndè conijcitur illa ſententia pro damnata à Doctoribus adhuc non haberi Bellarm. ad dicendum, videri Pontificem præfatam ſententiam damnare voluiſſe, mouetur ex illis verbis Extrauagantis, *quodque poſtquam inchoata fuerit, vel erit, talis intuitio, & facilis viſio, & fruitio in eiſdem, eiuſdem viſio, & fruitio ſine aliqua intermiſſione, alias intercisſione, ſeu euacuatione prædictæ viſionis, & fruitionis continuata exiſtet, & continuabitur vſque ad finale iudicium, & ex tunc vſque in ſempiternum*. Si ergo inquit Bellarm. Pontifex dicit viſionem Dei, quam habent animæ, continuari vſque ad reſurrectionem, & indè vſque in æternum, videtur dicere eam non creſcere, nec minui.

311 Sed verè id Pontifex non dixit, vt aduertit Emericus loco cit. dum octauam hæreſim in illa Extrauag. damnatam recenſet; ibi enim patet Pontificem voluiſſe damnare hanc propoſitionem. *Secundum communem Dei ordinationem, diuinæ eſſentiæ intuitiua, & facilis viſio, & fruitio in Beatis euacuabitur, nec continuabitur vſque ad finale iudicium, nec ex tunc vſque in ſempiternum*. Vbi negatur continuitas beatitudinis, non quia putaretur debere creſcere, vel minui, ſed quia deberet ceſſare, & euacuari; Pontifex damnat hanc hæreſim, dicendo quod beatitudo animæ nunquam euacuabitur, & continuabitur vſque ad Iudicium finale, & in ſempiternum. Vtrum verò in hac continuatione beatitudinis reſumpto corpore creſcere deberet hæc beatitudo in anima, vel minui intenſiuè, ſeu extenſiuè, Pontifex non decidit, nec circa hoc oſtendit aliquid cogitaſſe, ſed in huius Controuerſiæ deciſione, qui eam ex profeſſo tractant, diligentiùs attendent, nos partem, quam Romana Cathedra docebit, amplectimur.

Epi-

XXXIV.

1 *Episcopi, & alij Clerici amittunt iurisdictionem ipso facto, quo deueniunt hæretici, vel schismatici, ante sententiam, qua tales denuncientur.*

2 *Episcopi, & alij Clerici non amittunt iurisdictionẽ ipso facto, quo deueniunt hæretici, vel schismatici, ante sententiam, qua tales denuncientur.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Episcopi, & alij Clerici amittunt iurisdictionem ipso facto, quo deueniunt hæretici, vel schismatici, ante sententiam, qua tales denuncientur.

312 
TAS. Tho. 2.2. quæst. 39. art. 3. & 3. part. quæst. 64. art. 2. ad 1. & quæst. 82. art. 7. ad secundum & in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 2. ad primum.

Con-

Conclusio S. Thomæ opposita.

Episcopi, & alij Clerici non amittunt iurisdictionem ipso facto, quo deueniunt hæretici, vel schismatici, ante sententiam, qua tales denuncientur.

313 ITa decreuit VIII. Synodus Can. 10. per hæc verba, *nullus Clericus ante diligentem examinationem, & Synodicam sententiam à communione proprij Patriarchæ se separet, licèt criminalem quamlibet causam eius se nosse prætendat.* Ideoque Siluius 2.2. vbi supra concl. 3. in fin. existimat S. Thomam oppositum dixisse, quia putat eum VIII. Synodum non vidisse.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

314 QVod ante Bullam Martini V. *Ad euitanda* non posset cum hæreticis & Schismaticis etiam non denunciatis communicari, patet euidentèr, cum id omnibus excommunicatis excommunicatione maiori tunc esset commune; quod verò ante denunciationem etiam modò hæretici, & Schismatici amittant iurisdictionem, tenent vnanimiter Doctores etiam recentiores, vt videre est in Castro Palao, quem adducit Card. Lugo de virt. fid. disp. 23. sec. 4. §. 2. num. 148. & disp. 25. sec. 3. num. 39. vbi in hanc sententiam vltra Cap. *Nouatianus* 7. quæst. 1 adductum à D. Thoma 2.2. loco cit. adducit Cap. *Didicimus*, & Cap. *Audiuimus* 24. quæst. 1.

quæst. 1. consentit Barbosa in Collec. illo cap. *Nouatianus*, vbi pro hac eadem sententia refert Dominicum Puerum Oliuetanum Tomo 2. Institutionum cap. 6. n. 6. conceditur tamen communitèr hanc priuationem effectum non habere ante sententiam Iudicis declaratoriam criminis, antequam validi sunt actus Iurisdictionis hæretici, & schismatici, non quia eam habeat; vndè illicitè eam exercet; sed quia Ecclesia tanquam validos admittit ob titulum coloratum.

315 Nihil ergo S. Tho. dixit quod Canoni 8. Synodi sit oppositum, cum tantùm in synodo à communione non esse separandos criminosos ante sententiam decernatur; non verò quod iurisdictionem retineant per Schisma, vel hæresim ab Ecclesia separati, quod S. Thomas Sacris Canonibus innixus locis supra citatis firmauit.



XXXV.


1 *Prima Tonſura, & Ordines Minores conferri poſſunt ante diſcretionis annos ſine peccato.*

2 *Prima Tonſura, & Ordines Minores conferri non poſſunt ante diſcretionis annos ſine peccato.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Concluſio S. Thomæ.

Prima Tonſura, & Ordines Minores conferri poſſunt ante diſcretionis annos ſine peccato.

316 TA S.Tho. 4.diſt. 25. quæſt. 2. art. 1. quæſt. 2. c. per hæc verba. *Vndè aliqui, ſi neceſſitas adſit, & ſpes profectus, ad Minores Ordines poſſunt ante annos diſcretionis promoueri ſine peccato, & ſuſcipient Ordines, quia quamuis nunc non ſint idonei ad officia, quæ eis committuntur, tamen per aſſuetudinem idonei reddentur.*

Con-

Conclusio S. Thomæ opposita.

Prima Tonsura, & ordines Minores conferri non possunt ante discretionis annos sine peccato.

317 NAm prohibetur expresſè in 6. Cap. *Nullus Episcopus*, de Temp. ordinatione vbi ſic dicitur. *Nullus Episcopus, vel quiuis alius infanti, nisi fortè religionem intraret &c. Clericalem præsumat conferre Tonsuram &c. qui verò contra fecerit, vt in eo, in quo peccauerit, puniatur, per vnum annum à collatione Clericalis Tonsuræ dumtaxàt nouerit se suspensum*, corruit etiam illa S. Thomæ Concluſio ex Decreto Conc. Tridentini de Reform. ſeſſ. 23. cap. 4. 5. & 11.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

318 DVm S. Thomas eſſet in humanis, erat quidem in Sac. Canonibus conſtitutum ne Pueri ad ſacros Ordines promouerentur, vt patet ex Cap. *Vel non est*, de temp. Ordinat. & qualit. ordinand. ſed nullum erat adhuc præceptum canonicum, ſeu generale, quo vetaretur Epiſcopis prima Tonſura, ſeu minoribus Ordinibus inſignire eos, qui adhuc ad diſcretionis tempus non perueniſſent; immò id fieri potuiſſe abſque culpa inſinuatur diſt. 28. cap. *De ijs* & diſt. 77. cap. *In singulis*, ideoque rectè dixit id fieri potuiſſe ex neceſſitate; vndè benè aduertit Acugna Archiepiſcopus Bracharenſis dicto cap. *In singulis*, num. 4. S. Thomam non dixiſſe morem generalem fuiſſe ſuo tempore primam Tonſuram, & Minores Ordines conferre non habentibus


rationis vſum, vt ei imponit Henriquez lib.10. de ord cap.19. n.1. lit. A. Sed id tantum licuiſſe dixit, ſi neceſſitas adeſſet, & ſpes profectus; de praxi verò nihil tale ab eo dictum inuenitur. In Martyrologio Romano 13. Iulij legimus inter Martyres connumeratos lectores infantulos, quod quomodo ſit accipiendum, egregiè explicat Baronius in notis.

319 Verùm poſt Decreta ſupra adducta, quibus id fieri prohibetur, nullo modo quis poteſt ad primam Tonſuram, & Minores Ordines promoueri ante diſcretionis annos, & in infantia. Sed ex hoc non benè colligitur S. Thomam erraſſe, cum oppoſitum dixerit; nam S. Thoma viuente conſtat nullum fuiſse decretum, quo eius ſententia, quam alijs Sacris Canonibus vidimus tunc fuiſse conformem, prohiberetur ad praxim reduci, & cum agatur de re, quæ merè pendet à Iure poſitiuo, cum iſta aliquo tempore liceant, alio tempore non liceant, quia prohibentur fieri, Doctores, qui antequam prohiberentur dixerunt licuiſſe, nullam erroris notam incurrunt, ſicut nec S. Thomas, vt iterùm in ſimilibus caſibus diximus ſupra n.9. & infra dicemus n.324.

320 Huc aduoco quod S.Thomas dixit quodl.3. ar.29. de Clerico omittente Horas minores, ad quas recitandas tenetur, cui, docet, non eſſe iniungendam pœnitentiam eaſdem Horas recitandi, ſi tempore Complětorij, de hac omiſſione confiteretur, vbi inſinuat non eſſe iam tempus illi Clerico recitandi has Horas hora Completorij, quod tamen eſt falſum. Sed reſpondendum eſt S. Thomæ ſæculo conſuetudinem fuiſse quod minores Horæ ante Completorium recitarentur de præcepto. Vndè hac conſuetudine introducta, tenebantur Clerici ad Officium diuinum obligati recitare dictas horas ante Completorium, ſicut modò tenentur ad eas recitandas ante mediam noctem; & ideo ſicut Clerico pœnitenti, qui culpabiliter omiſit Horas ante mediam noctem, non eſt modo imponenda earum recitatio

tio loco pœnitentiæ post mediam noctem, ita non fuisset imponenda tunc pœnitentia recitandi illas Horas dicto Clerico confitenti earum omissionem hora Completorij, quia tunc iam nõ erat tẽpus eas ex præcepto recitandi.

Tempus verò recitandi Horas Canonicas, quod pendebat à consuetudine antequam per Decreta Conciliorum, & Pontificum præscriberetur, non erat apud omnes idem sicut est nunc. Vndè Azor Institutione Tomo 1. lib. 10. cap. 11. quæst. 8. in 2. obiect. dixit in hac re standum esse potius consuetudini, quam Iuri scripto.



XXXVI.

1 *Clericus si occidat aliquem se defendendo, incurrit irregularitatem.*

2 *Clericus si occidat aliquem se defendendo, non incurrit irregularitatem.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio, quæ S. Thomæ attribuitur:

Clericus si occidat aliquem se defendendo, incurrit irregularitatem.

321 
TA S. Thomas 2. 2. q. 64. ar. 7. ad tertium per hæc verba, *& propter hoc Clericus, etiamsi se defendendo interficiat aliquem, irregularis est, quamuis non intendat interficere, sed seipsum defendere.* Item 4. d. 25. qu. 2. ar. 2. qu. 2. ad tertium iterum dicit. *& ideo etiam ille, qui se defendendo in aliquo casu non peccat homicidium committendo, nihilominus irregularis est,* & 3. p. qu. 89. ar. 3. in cor. inquit. *Similitèr si homicidij &c. aut defensione post Baptismum conscius fuerit, sed hoc non est ratione peccati, sed ratione irregularitatis;*

Con-

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita.

Clericus, si occidat aliquem se defendendo, non incurrit irregularitatem:

322 ITA declaratur *in Clem. vnica de Homicidio Cap. si furiosus* per hæc verba, *nullam ex hoc irregularitatem incurrit; & idem de illo censemus, qui mortem alitèr vitare non valens, suum occidit, vel mutilat inuasorem*, & vt ait Suarez Tomo 5. in 3. p. disp. 46. sect. p. probabilius est etiam iure antiquo in supradicto casu non fuisse incursam irregularitatem, quod sentit gl. *in Cap. si quis viduam*, dist. 50. *Verbo Defensionis*, & in *Cap. sicut dignum*, & sumi potest ex Stephano Papa *in Cap. quia te* dist. 50. ibi. *Sed quia te tua sponte id fecisse cognosceris, indè canonicè nullo modo iudicaris.*

S. Thomæ doctrinæ veritas:

323 VEruntamen idem Suarez ibidem adducit plures insignes Theologos, & Canonistas, qui dicunt iure nouo Clericum occidentem, se defendendo, non incurrere irregularitatem; vndè colligitur ex illorum Doctorum sententia, iure antiquo, quod vigebat dum S. Tho. scriberet, Clericum, qui occidit se defendendo, dictam irregularitatem incurrisse, quod ne dum etiam ex glos. super illam Clementinam euidentèr constat, sed ex eodem S. Doctore habetur expresè; nam in 4. loco cit. in arg. s. c. inquit. *Contra hoc*, scilicet, quod propter homicidium quodcumq; debeat aliquis prohiberi à sacris Ordinibus, *sunt plura Canonum statuta*,

& Ec-

& Ecclesia consuetudo, locis verò cit. ex 2.2. in 3. arg. adducit ex dist.50. Cap.6. *de his Clericis*, Vbi Nicolaus Papa inquit, *de his Clericis &c. qui se defendendo paganum occiderunt &c. Verùm si contigerit, vt Clericus Sacerdotalis Ordinis saltèm paganum occiderit, multum sibi consulit si ab officio Sacerdotali recesserit, satiusq; est illi in hac vita Domino sub inferiori habitu irrepræhensibilitèr famulari, quam alta indebitè appetendo, damnabilitèr in profundum demergi*, & quamuis modò non desint, qui dicant Nicolaum Papam præfatis verbis noluisse declarare illum Clericum incurrisse irregularitatem nisi in casu, quo excessisset moderamen inculpatæ tutelæ, seu tantùm consuluisse,vt quid melius, non verò, vt prohibitum, quòd Clericus ille ab officio Sacerdotali recederet;quapropter concludunt Clementinam non condidisse Ius nouum, sed antiquum continuasse; Vndè volunt S.Thomam contra Ius,quod suo tempore vigebat, irregularem Clericum occidentem, vt se defenderet, declarasse: Verùm de Iure antiquo irregularitatem talem Clericum incurrisse communior est apud Theologos, & Canonistas insigniores sententia, qui tenent antiquitùs iudicatos fuisse immunes ab irregularitate, qui sine propria voluntate occidebant, vt patet in pluribus Capitibus illius dist. 50. sed eos, qui propria voluntate occidebant,vel cum culpa, vel sine culpa, vt Iudices, & se defendentes, volunt fuisse irregularitati obnoxios; quod ne dum Nicolaus vbi supra, sed etiam Martinus eadem dist. 50. Cap. *si quis Viduam* iudicauit, dum inquit, *similiter*, scilicèt, vt supra dixerat, *non admittatur ad Clerum, & si irrepserit, deijciatur, si homicidij, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione, post Baptismum conscius fuerit*, quod explicans S. Tho. 3. p. q.89.ar.3. in cor. inquit. *Sed hoc*, scilicet, *quod ille ex defensione homicida, non admittatur ad Clerum, & si irrepserit, deijciatur*, non est ratione peccati, sed ratione irregularitatis. Videndus est Siluester Verbo Homicidiũ


3. q. 2. Valentia Tomo 3. disp. 5. q. 8. par. 4. Bannes, Caietanus, & alij, qui in S. Thomæ quæst. illam 2. 2. scripserunt, & quos Suarez vbi supra adduxit. Præterea diebus S. Thomæ fuisse consuetudinem in Ecclesia tales Clericos irregulares iudicare ipsemet testatur loco cit. ex 4. Sent. Decretum etiam Nicolai primi idem exprimere constat euidentèr; dixit enim Pontifex: *Satius illi esset sic Domino famulari, quàm alta indebitè appetendo in profundum demergi*. Vbi Nicolaus certo certius non consuluit melius, sed debitum; nam non qui meliùs, sed qui debitum omittit, in profundum demergitur.

324 Dicendum ergò est S. Thomam optimè iudicasse sæculo, quo viuebat, Clericum, se defendendo occidentem, irregularitatem incurrisse, quia sic decreuerat Nicolaus Papa vbi supra, & quia erat tunc Ecclesiæ consuetudo huiusmodi irregulares censere; ideoq; à Doctoribus idem communitèr tradebatur.

325 Cùm verò post eius felicem transitum Clemens Papa decreuit Clericum irregularitate non affici in casu, quo se defendendo, occidat, condidit nouum Ius, & antiquum extinxit; Vndè modo hoc Ius Clementinum est sequendum, sicut Nicolai primi Ius antea sequendum erat. Dicendum est ergo S. Thomam, cuius sæculo Nicolai Ius vigebat, quodq; Ecclesiæ consuetudine erat in vsu, optimè scripsisse Iuri illo antiquo se conformando. Plura, quæ olìm in Ecclesia obseruabantur per Canonicas sanctiones decreta, à posterioribus Pontificibus variata, & deleta sunt, vt præter id, quod dicebamus supra num. 9. & 318. patet Cap. *non debet* de Consang. & Affinit. & dixit Nicolaus primus in Epistola ad Michaelem Imp. cuius initium: *proposueramus*. In Sac. Concil. Trid. dum agitur de reformatione, & ijs, quæ pertinent ad ius positiuum, multa quoque inueniuntur mitigata, & deleta, vt quod ex sponsalibus irritis non inducatur impedimentum publicæ honestatis, quod Matrimonium clandestinum, vbi Conc.

Tridentinum est receptum, sit nullum &c. non tamen ex hoc dicendi sunt errasse Doctores graues, qui præcesserunt Conc. Tridentinum, dum ex sponsalibus irritis impedimentum publicæ honestatis induci tradiderunt, & Matrimonia clandestina pro validis, & Sacramentis agnoscebant, sed potiùs commendandi sunt, quod se tunc accommodarent Pontificum Decretis, & Ecclesiæ consuetudini, sicut ex eadem ratione S. Tho. de præfata sententia est summoperè commendandus.

.·.



Votum

XXXVII.

1 *Votum de re, quæ necessaria est necessitate præcepti, est Votum largè acceptum, & impropriè dictum.*

2 *Votum de re, quæ necessaria est necessitate præcepti, est Votum propriè dictum.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio D. Thomæ attributa.

Votum de re, quæ necessaria est necessitate præcepti, est Votum largè acceptum, & impropriè dictum.

326 

TA S. Tho. 4. d. 38. qu. 1. ar. 1. q. 2. in cor. vbi sic ait: *Alia est necessitas conditionata ex suppositione finis, & sic inest nobis necessitas faciendi illa, sine quibus non possumus salutem consequi, sicut sunt præcepta, ad quæ aliàs tenemur, & talis necessitas non excludit omninò Votum, inuenitur enim quandoq; largè accipiendo Votum, esse de his, quæ sunt sub tali necessitate, sed excludit talis necessitas Votum propriè dictum.*

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita.

Votum de re, quæ necessaria est necessitate præcepti, est Votum propriè dictum.

327 HÆC Conclusio ne dum censetur vera, sed etiam catholica, ita vt Alphonsus de Castro lib. p. de lege pœnali Cap.10. superiorem Conclusionem nimium erroneam appellauerit, & meritò, inquit Suarez de Relig. Tom. 2. Tract. 6. de Voto lib. 2. Cap. 6. num. 4. & 9. vbi eandem ipse dixit practicè improbabilem. Immò ipse S. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 2. c. docuit hanc posteriorem Conclusionem his verbis. *Illud verò quod non habet absolutam necessitatem, sed necessitatem finis, puta quia sine eo non potest esse salus, cadit quidem sub Voto, inquantum voluntariè fit, non autem inquantum est necessitatis*. Vbi Siluius putat S. Doctorem mentem suam clariùs explicasse, & quod in 4. scripserat, mitigasse; Suarez verò loco prædicto, num. 11. S. Tho. inquit, *intelligit hoc proprium Votum non consistere in sola acceptatione obligationis, ac necessitatis præcepti, nec in proposito, seu professione implendi illam, sed in promissione voluntaria addita illi necessitati præcepti*. Ibidem S. Th. subiunxit: *Illud autem, quod neque cadit sub necessitate absoluta, neque sub necessitate finis, omninò est voluntarium; & ideò hoc propriissimè cadit sub Voto*. Vbi inquit Siluius loco suprà cit. *non vult dicere Votum eadens super rem præceptam habere tantum similitudinem Voti, quin potiùs supponit quod sit propriè Votum, sed non propriissimè, eo quod in ipso non perfectissimè inue-*

inueniatur ratio Voti, vtpotè cùm non sit tam voluntarium, sicut opus consilij.

S.Thomæ doctrinæ veritas.

328 APud omnes Doctores Theologos certum est S.Thomam sensisse votum de re necessaria necessitate præcepti esse votum propriè dictum, nec in 4. scripsisse oppositum volunt, dum eius verba supra adducta interpretationibus Textui accomodatissimis explicant.

329 Siluius vbi suprà sic ait: *Votum propriè dictum* (de quo S.Tho. in 4. loquitur) *non opponitur voto metaphoricè, aut analogicè dicto, sed æquiualet voto strictissimè accepto, quod nimirùm obligat eum, qui antequam voueret, non erat obligatus, vt proindè sensus sit, votum de re præcepta non esse votum propriè, quia non est eiusmodi votum, quod inducat vouenti obligationem ad faciendum id, ad quod antea non erat obligatus.* Suarez verò loco iam adducto ait. *In 4. longè in diuerso sensu locutus videtur* (*S. Thomas*) *ibi enim votū commune appellat solam susceptionem legis imponentis obligationem, & professionem seruandi illam; & ideò dicit esse analogicè Votum, & non addere nouam speciem honestatis, quæ de proprio voto cadente in materiam præceptam vera non sunt; loquitur ergo ibi de voto improprio, quale dicitur fieri in Baptismo.* Votum, quod in sententia S.Thomæ fit in Baptismo, benè explicat Siluius ibidem § *Circa responsionem*, Azorius p part. Inst. lib. 11. cap. 14. §. *Cæterùm* sic interpretatur S. Thomam. Respondeo non significare S Thomam eiusmodi votum (de re alioqui vi præcepti debita) esse impropriè sicut per metaphoram, analogiam, aut similitudinem votum, sed non esse votum proprie, hoc est, non esse solum votum, sed etiam

præ-

præceptum, & cùm ait rem imperatam non esse voti materiam, significat non esse solùm materiam voti, sed etiam esse præcepti materiam; at res, quæ in consilium cadit, est propriè materia voti, idest solius voti est materia, non præcepti, vel legis. Proprium aliquando vocamus, quod non est multorum commune, sed quod vni solùm conuenit, licèt illi verè conueniat.



Nullum

XXXVIII.

1 *Nullum Ieiunium est sub præcepto toto tempore Paschali.*

2 *Ieiunium Sabbati præcedentis Dominicam Pentecostes est sub præcepto.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Nullum Ieiunium est sub præcepto toto tempore Paschali.

329 TA S.Tho. 2.2. quæst. 147 art. 5. ad 3. per hæc verba. *Propter quod non est Ieiunium ab Ecclesia institutum in toto tempore Paschali.*

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita.

Ieiunium Sabbati præcedentis Dominicam Pentecostes est sub præcepto.

330 ITa vt peccaret mortaliter, qui illa die non ieiunaret, vt patet, de quo Ieiunio meminit S. Ambrosius Ser. 60 & refertur dist. 76. Cap. *Nosse credo* & Cap. *Scire debet.*

S.Tho-

S. Thomæ doctrinæ veritas.

332 EAm habemus ex D.Caietano 2.2.vbi supra per hæc verba: *quia consuetudo, & tollit, & facit legis vinculum, & communiter homines reputant non minus esse in præcepto hac, quam alia quatuor Temporum Ieiunia; ideo ex consuetudine sunt in præcepto sicut cætera, ita quod vinculum, quod lex non fecit, consuetudo intulit; & propter hoc Author in littera cautè locutus est dicens, quod Ieiunium exultationis non debet cadere sub præcepto, & quod ab Ecclesia non est institutum, scilicet, sub præcepto, Ieiunium in toto Paschali tempore.* In eandem sententiam scripserunt Siluius 2.2.vbi supra quer.7.Achuna & Barbosa cap. *scire debet.* dist.76.cit. & alij, quos idem Barbosa ibi recenset. Cùm dicta dist.76. cap. *scire* Gratianus dixisset, *sed quod in illis quinquaginta diebus ieiunandum esse negatur, ex obseruantiæ necessitate intelligitur.* Eum confutat glos. dum ait verbo obseruantiæ. *Hic malè dicit, & sequenti §. immo vigilia Pentecostes necessariò ieiunanda est, vt infra* cap. *Nosse*, & supra cap. *de Ieiunio*, non obstat cap. *scire, quia pro vno die, nec plus, nec minus, sed quod ieiunari debeat, hoc habet Ecclesiæ consuetudo.* Veruntamen Gratianum, & consequẽter S. Thomam interpretatur Fagundez in Tract.de quinque Ecclesiæ Præceptis præc. 4. lib. 1.cap.5.n.9. dum ait: *Tamen intelligendi sunt de iure communi, non de consuetudine vniuersali totius Ecclesiæ, quasi dicant, Peruigilium Pentecostes non est Ieiunio consecratum de Iure communi, non autem de cõsuetudine; quia de consuetudine vniuersali totius Ecclesiæ Latinæ huiusmodi Peruigiliũ in præcepto Ieiunij est, vt præter Doctores allegatos, docent etiam Angelus* verbo *Ieiunium* n.7.ad finem, & glos. in cap. *nossè* dist. 76. qua in sententia secutus est Fagundez, Azorium Inst. p. p. lib.7. cap.24. §. *Secundò queritur*, ibi: *in hac Controuersia*, vbi eadem, sed breuiùs tradidit.

Pro-

XXXIX.

1 *Propitiatorium fuit Tabula lapidea.*
2 *Censetur falsa Conclusio.*
3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Propitiatorium fuit Tabula lapidea.

333 TA S. Thomas 1. 2: quæst. 102. art. 4. ad sextum per hæc verba. *Hæc autem Arca sita erat inter duos Cherubim, qui se mutuis vultibus respiciebant, & supra Arcam erat quædam Tabula lapidea.*

Censetur falsa Conclusio.

334 TAbulam illam non fuisse lapideam ex Sac. Scriptura præcipuè Exod. 25. 17. euidentèr apparet.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

335 SEd dicendum est in Textu S. Thomæ redundare iniuria librariorum illud adiectiuum *lapidea*, vt aduertit Medina in manuscripto veteri Salmantino, in quo non legitur illud *lapidea*, quem sequuti sunt Vasquez, & Siluius in p. 2. q. 102. cit. alijq; quamplurimi, non desunt, qui idem comprehenderint in Codicibus

mm. ss. Vaticanis, & Coloniensibus; fertur etiam esse in Conuentu Ordinis Sanctæ Luciæ de Alcanix Textum S. Thomæ m. s. & postillatum manu S. Vincentij Ferrerij, in quo non legitur illud *lapidea*, quod confirmatur ex lect. pr. S. Thomæ in Cap. 9. Epistolæ ad Hæbreos, vbi S. Tho. dicit, *inter duas autem alas, quibus tegebant se, erat Tabula aurea eiusdem longitudinis, & latitudinis, cuius est Arca*: Patet ergo S. Doctorem non dixisse illam Tabulam fuisse lapideam, sed auream, prout euidentèr conijcitur ex citata lect. Videndus Grauina Sacri Depositi Cap. 24. n. 13. vbi obseruat in Tabula Bergomensis Verbo *Propitiatorium* sic haberi: *erat Tabula super alas Cherubin &c.* 1. 2. q. 102. 4. ad sextum, quod indicat non fuisse in Textu. *lapideam*, eo tempore, quo Bergomensis Tabulam suam instruebat.



Eccle-

XL.


1 *Ecclesiastici authoritas non recipitur.*

2 *Ecclesiastici authoritas recipitur.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Ecclesiastici authoritas non recipitur!

336 

TA S. Tho. p. p. quæst. 89. art. 8. ad secundum per hæc verba. *Vnde & de Samuele dici potest quod ipse apparuit per reuelationem diuinam, secundum hoc, quod dicitur Ecclesiastici 46. quod dormiuit, & notum fecit Regi finem vitæ suæ*, vel *illa apparitio fuit procurata per Dæmones, si tamen Ecclesiastici authoritas non recipiatur propter hoc, quod inter Canonicas Scripturas apud Hebræos non habetur.*

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita.

Ecclesiastici authoritas recipitur.

337 ITa Sac. Conc. Tridentinum innixum alijs prioribus Sacrorum Conciliorum Decretis sess. 4. ideoque Conclusio est de fide.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

338 S. Thomas perpetuò voluit Ecclesiastici librum esse Sacrum, & Canonicum, vt patet ex innumeris suæ doctrinæ locis, in quibus sententias ex ipso adductas veluti ex Canonico Codice manantes interpretatur, vt in nostra Massa Auri Tomo 4. euidentèr ostendimus; nec in verbis supra adductis vllo modo docuit oppositum, sicut nec 2.2. q. 95. art. 4. ad secundum, & quæst. 174. art. 5. ad quartum, quibus in locis de eodem argumento tractauit, sed retulit tantùm, quæ S. Augustinus in lib. de Cura pro mortuis agenda dixerat, ad supradicta enim verba præmiserat. Sicut etiam viui ignorantes alijs viuentibus apparent in somnis, vt Aug. dicit in lib. prædicto, hoc est in lib. de Cura pro mortuis agen. Cap. 10. prosequitur postea S. Doctor cum Augustino ibidem Cap. 15. in eodem sensu, sed diuersis verbis, vt patet ex hac quæ sequitur comparata per iuxta positionem vtriusque sententiæ.

Ver-

Verba Augustini.

NAm Samuel Propheta defunctus viuo Sauli etiam Regi futura prædixit, quamuis nonnulli non ipsum fuisse, qui potuisset magicis artibus euocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentē illius existiment similitudinem figurasse. Cum liber Ecclesiasticus; quem Iesus filius Sirach scripsisse traditur, & propter eloquij nonnullam similitudinem Salomonis pronunciatur, cōtineat in laude Patrum, quod Samuel etiam mortuus prophetauerit, *sed si huic libro ex Hebræorum, quia in eo non est Canone, contradicitur*, quid &c.

Verba D. Thomæ.

VNdè & de Samuele dici potest, quod ipse apparuit per reuelationem diuinam, secundùm hoc, quod dicitur Eccles. 46. quod dormiuit, & notum fecit Regi finem vitæ suæ, vel illa apparitio fuit procurata per Dæmones, *si tamen Ecclesiastici authoritas non recipiatur* propter hoc, quod inter Canonicas scripturas apud Hebræos non habetur.



339 Patet ergo S. Doctorem cum S. Augustino dupliciter respondere ad Argumentum secundum ar. 8. q. 89. p. p. Primo, Samuelem apparuisse Sauli in propria persona, quia dicitur Ecclesiast. 46. ipsum tunc prophetasse, & hæc responsio dirigitur ad Catholicos, qui Ecclesiasticū in Canone recipiunt; Si verò quispiam Hæreticus, vel Hebræus Ecclesiastici authoritatem non reciperet, illi responderi posset secundò, hanc apparitionem fuisse per Dæmones procuratam: Vndè inquit S. Tho. *si tamen* hoc est, in casu, *quo Ecclesiastici authoritas non recipiatur*, vel si *huic libro contradicitur*, vt inquit Augustinus, quod à Sanctis dictis Doctoribus ponitur tanquam pura conditionalis, quæ non ponit in esse, & gratis datur, sed non conceditur.

Zonna

XLI.

1 *Zona Aequinoctialis est inhabitabilis*
2 *Censetur falsa Conclusio.*
3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Zona æquinoctialis est inhabitabilis.

340  TA S. Thomas p. p. quæst. 102. ar. 2. ad quartum, & 2. 2. quæst. 164. art. 2. ad quintum, & 2. dist. 29. quæst. 1. art. 5. ad tertium.

Censetur falsa Conclusio.

341 HOc falsum esse docet experientia, cum multi ad partes illas quotidiè eant, & reuertantur: Vndè Zonam æquinoctialem habitari absq; omni controuersia modò certum est.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

342 VErùm quamuis viuente S. Thoma plures sapientes opinarentur Zonam æquinoctialem esse inhabitabilem, adhuc enim ex regionibus nostris nemo ad illas partes nauigauerat, qui de eius habitabilitate nos instrueret, & Aristotelis ratio in lib. Meteor. adducta, qua inhabitabilis suadetur, conuinceret eorum ingenia; tamen

men S. Doctor opinionem de eius inhabilitate sequutus non est absolutè, sed semper sub dubio eam admisit, nihil certi vnquam statuendo; quamuis, & propter authoritatem Aristotelis, aliorumq; sui temporis sapientiorum Doctorum, & propter rationem, cui innitebatur, fassus sit sibi videri probabiliorem, & hoc tantum dixit expresse. Attamen S.Doctor, oppositum sentientes nec impugnauit, nec falsum asseruisse vnquam docuit; ex quo sequitur S. Doctorem opinionem etiam, quam probabiliorem iudicauerat, existimasse falsam inueniri potuisse, quod ex eius verbis locis citatis patet. Nam p.p. cit. sic ait: *Illi, qui dicunt Paradisum esse sub circulo æquinoctiali, opinantur sub circulo illo esse locum temperatissimum propter æqualitatem dierum, & noctium omni tempore; & quia sol nunquam ab eis elongatur, vt sit apud eos superabundantia frigoris, nec iterum est apud eos, vt dicunt, superabundantia caloris; quia etsi sol pertranseat super eorum capita, non tamen diu moratur ibi in hac dispositione*: Aristoteles verò in Lib. Meteor. expresse dicit, quod regio illa est inhabitabilis propter æstum, quod videtur probabilius, quia Terræ, per quas Sol nunquam pertransit indirectum capitis, sunt intemperatæ in calore propter solam vicinitatem solis. *Quicquid autem de hoc sit*, credendum est Paradisum in loco temperatissimo constitutum esse, vel sub æquinoctiali, vel alibi. Patet ergo S. Thomam neutram opinionem reprobasse, sed vtraq; admissa intra fines probabilitatis, concludere *quicquid de hoc sit*, an scilicèt illa Zona sit habitabilis, vel inhabitabilis, dicendum esse Paradisum in loco temperatissimo constitutum esse; sub æquinoctiali, si esset habitabilis; alibi verò, si æquinoctialis esset inhabitabilis. inhabitabilitate

343 Præterea 2.2. loco cit. sic ait, *ille locus, scilicèt, Paradisi terrestris*, videtur esse inaccessibilis propter vehementiam æstus in locis intermedijs ex propinquitate solis, & hoc significatur per flammeum gladium, qui versatilis dicitur propter proprietatem motus circula-

ris

ris huiusmodi æstum causantis; & quia motus creaturæ corporalis disponitur ministerio Angelorum, vt patet per August. 3. de Trinit. Vbi S. Thomas duas affert opiniones de flammeo gladio, quas in sua probabilitate reliquit, nulla pro simpliciter vera acceptata, sed iuxta vtriusq; principia voluit explicare quid per flammeum gladium in Sac. Scriptura posset intelligi.

344 Tandem 2. d. 29. loco cit. sic ait: *Illa impedimenta, ratione quorum inaccessibilis dicitur Paradisus terrestris, fortè hic gladius flammeus vocatur, quia præcipuè locus ille inaccessibilis videtur propter intemperatum calorem in locis intermedijs.* Vbi S. Tho. vtitur illo verbo, *videtur*, quod indicat eum opinando, non asserendo loqui, vt ipse dixit p. p. q. 100. ar. 2. ad secundum, & hic sensus eius erat; supposita illa regione æquinoctiali intemperata, prout tunc videbatur sapientioribus ductis Aristotelis authoritate, & ratione, non poterat esse locus Paradisi terrestris; ideoq; constituendus erat vltra talem regionem, quæ iuxta illos, qui eam putabant inhabitabilem, significabatur per flammeum gladium; tamen in eius sententia flammeus gladius poterat etiam significare ministerium Angelorum, iuxta opinionem asserentem illam regionem habitabilem esse, vt ex supradictis patet.



Inter

XLII.

1 *Inter Cœlos datur ſpatium diuiſibile alicuius corporis, ita quod ſpheræ non ſint ſibi contiguæ.*
2 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Concluſio S. Thomæ attributa.

Inter Cœlos datur ſpatium diuiſibile alicuius corporis; ita quod ſpheræ non ſint ſibi contiguæ.

345 
TA S. Tho. 2. d. 2. qu. 2. ar. 2. ad 5. per hæc verba. *Sicut etiam ponunt Aſtrologi inter duas ſpheras, quæ non poſſunt ſcindi, eſſe aliquod ſpatium repletum corpore diuiſibili; cum in iſto ſpatio ſit motus planetarum ſecundum motum Epicicli.*

S. Thomæ doctrinæ veritas.

346 EX dictis S. Doctoris verbis patet euidentèr ipſum in præcitata authoritate non loqui ſecundum propriam ſententiam, ſed tantùm referre quid Aſtrologi ſentirent; nam loquendo ex propria mente in 2.

de Cælo lect. 5. sic ait, *quia omnia illa corpora cælestium spherarum se inuicem tangunt, & sunt continua, idest, immediatè sibi inuicem coniuncta; Nec est aliquod corpus intermedium, quod suppleat vacuitatem spherarum, vt quidam ponunt: sequeretur enim illa corpora esse ociosa, cum non haberent motum circularem*, idem videtur asserere 12. Metaph. lect. 10.




Sunt

XLIII.

1 *Sunt tantùm decem Cœli, numerando etiam Empyreum.*
2 *Censetur falsa Conclusio.*
3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Sunt tantùm decem Cœli, numerando etiam Empyreum.

347 TA S. Tho. 2. d. 14. q. 1. ar. 4. vbi dicit esse septem Cœlos secundum Rabanum, scilicèt Empyreum, Christallinum, Sydereum, Igneum, Olimpium, Ethæreum, & Aereum; primi tres Cœli nominantur à natura, & proprietate cœlesti, quatuor posteriores à proprietatibus cœlestibus tantùm. Ad tertium postea dicit sub Cœlo Sydereo comprehendi Cœlos septem Planetarum.

Censetur falsa Conclusio.

348 SEd certum est vltra Cœlum christallinum, & sub Empyreo esse Primum mobile. Ergo òmnes Cœli sunt numero vndecim, & non tantùm decem.


S. Thomæ doctrinæ veritas.

349 ID non negauit S. Tho. qui solùm voluit in articulo adducto explicare Cœlos secundum numerum septenarium assignatum à Rabano, inter quos tres dixit esse, & natura, & proprietate Cœlos; quatuor verò tantùm proprietate cœlesti, vt patet ex textu; sed sicut in resp. ad quintum dixit esse tres Cœlos, secundum quod nomine Cœli sumitur id, quod habet naturam Cœli, videlicèt, Empyreum, Christallinum, & Sydereum; & postea sub Sydereo in resp. ad tertium multiplicauit septem Cœlos Planetarum: quia cum isti Cœli partim sint diaphani, & partim lucidi propter corpus lucidum in illorum singulis fixum; quæ corpora in hoc Virgiliano versu compræhenduntur.

Saturnus, Mars, Luna, Venus, Sol, Iuppiter, Hermes.
conueniunt cum Sydereo, quod est eiusdem naturæ, scilicèt, diaphanum, & lucidum, propter stellas, innumeras in eo fixas; ita nomine Cœli Christallini S. Doctor intellexit duos Cœlos, qui sunt omninò diaphani, omni stella, seu lucido corpore destituti; ideoq; quantum ad hoc ambo dici possent christallini, sed vnum retinet nomen Cœli christallini, aliud dicitur Primum mobile, inter Empyreum, & Christallinum situatum. Item S. Tho. 2.2. q. 175. ar. 3. ad quartum numerat tres Cœlos præter Empyreum; Primum, Aereum, Secundum Sydereum, in quo Planetas, & Firmamentum compræhendit, Tertium Aqueum, seu Christallinum, in quo etiam Primum mobile includit. Ita intelligendus est etiam quodl. 6. ar. 19. in cor. S. Doctorem Primum mobile vltra alios Cœlos expresse sub nomine Decimæ spheræ numerasse, & illud supra Cœlum Sydereum, & Christallinum, siue Aqueum moueri motu diurno dixisse, constat ex 2. d. 14. qu. 1. ar. 1. in c. vbi sic ait. ***Hoc autem Cœlum Aqueum est Nona Sphera,***

ad

ad quam primo reducunt Astrologi motum orbis signorum communem omnibus stellis, qui est de Occidente in Orientem, & iterum spheram Decimam, ad quam reducunt motum diurnum, qui est de Oriente in Occidentem, de quo Primo Mobili loquitur etiam S. Tho. in 12. Metaph. lect. 9. vbi sic ait. *Vnde necesse est, quod supra Spheram stellarum fixarum sit alia circundans totum, quæ reuoluit totum Cœlum motu diurno; & hoc est Primum Mobile*. Patet ergo S. Thomam posuisse decem spheras Cœlorum Mobiles, scilicèt, septem Planetarum Sydeream, Christallinam, seu Aqueam, & Primum Mobile, deindè Cœlum Empireum immobile.



Cœlum

XLIV.

1 *Cœlum, & Luminaria Cœli secundum opinionem Aristotelis sunt animata, à qua opinione S. Thomas, non abhorruit.*

2 *Cœlum, & Luminaria Cœli non sunt animata secundum opinionem Aristotelis; immo id asserere videtur rectæ fidei repugnare.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Cœlum, & Luminaria Cœli secundum opinionem Aristotelis sunt animata, à qua opinione S. Thomas non abhorruit.

350 TA S. Thomas 2. c. g. Cap. 70. per hæc verba. *Est igitur Cœlum compositum secundum opinionem Aristotelis ex anima intellectuali, & corpore, & hoc signat in 2. de anima, vbi dicit, quod quibusdam inest intellectiuum, & intellectus vt hominibus, & si aliquid huiusmodi est actiuum, aut honorabilius, scilicet, Cœlum: Constat autem quod Cœlum*

non

non habet animam sensitiuam secundum opinionem Aristotelis; haberet enim diuersa organa, quæ non competunt simplicitati Cæli, & ad hoc signandum, subiungit Aristoteles, quod quibus de numero corruptibilium inest intellectus, insunt omnes aliæ potentiæ, vt daret intelligere, quod aliqua incorruptibilia habent intellectum, quæ non habent alias potentias Animæ, scilicet, corpora cælestia. Non poterit igitur dici, quod intellectus continuetur corporibus cœlestibus per phantasmata, sed oportebit dicere, quod intellectus per suam substantiam vniatur corpori cœlesti vt formæ; Sic igitur, & corpori humano, (quod est inter omnia corpora inferiora nobilissimum, & æqualitate suæ complexionis Cœlo ab omni contrarietate absoluto simillimum) secundum intentionem Aristotelis substantia intellectualis vnitur, non per aliqua phantasmata, sed vt forma ipsius, & de Spirit. creat. qu. vn. art. 6. ait. *Plato verò, & Aristoteles, & eorum sequaces posuerunt corpora cœlestia esse animata*, idem repetit q. vn. de An. ar. 8. ad 3. 2. Cœl. lect. 3. & quodl. 12. ar. 8. vbi idem sensisse, inquit, videtur ille, qui fecit Præfationem, cum dicit, *Cœli Cœlorumq; Virtutes*.

351 Quod verò S. Tho. non abhorruerit ab hac opinione ponente Cœlos esse animatos anima intellectuali, probatur, nam statim loco cit. ex 2. c. g. sequitur. *Hoc autem, quod dictum est de Animatione Cœli, non diximus quasi asserendo secundum fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet, siue sic, siue alitèr dicatur*. Vndè August. in Enchir. dicit. *Nec illud quidem certum habeo vtrum ad eandem Societatem*, scilicet, Angelorum; *pertineant Sol, & Luna, & cuncta Sydera; quamuis nonnullis lucida esse corpora, non tamen sensu, vel intelligentia videantur*, seu, vt legit qu. vn. de Anima art. 8. ad 5. *non tamen sensitiua, vel intellectiua videantur*, & de spiritual. creat. q. vn. ar. 6. recensitis duabus opinionibus, vna asserente Cœlum non esse animatum, cuius fuisse refert Anaxagoram, & Damascenum, alteram dicen-

dicentem esse animatum, cuius fuisse narrat Origenem, & Hieronymum ; vtramq; verò Augustinum sub dubio reliquisse, inquit. *Vtraq; autem opinio rationem probabilitatis habet*, & de An. qu. vn. ar. 8. ad 3. inquit, *propter argumenta vtramq; partem sustinentes, dicamus aliquam substantiam intellectualem esse perfectionem corporis cœlestis vt forma, quæ quidem habet potentiam intellectiuam, non autem sensitiuam, vt ex verbis Arist. accipi potest in 2. de An. & in ij. Metaph.* & ad quintum concedit Animas Cœlorum si ponantur animata, pertinere ad Societatem Angelorum.

Conclusio quæ censetur S. Thomæ opposita.

Cœlum, & Luminaria Cœli non sunt animata secundum opinionem Aristotelis; immo id asserere videtur rectæ fidei repugnare.

351 PRobatur ex eodem S. Tho. p. p. qu. 70. ar. 3. vbi inquit, *ad hoc autem quod moueat (scilicèt Cœlum) non oportet quod vniatur ei, (scilicet anima) vt forma, sed per contactum virtutis, sicut motor vnitur mobili*, quod probat authoritate Aristotelis ex Lib. 8. Phys. Indè Caietanus ibidem suspicatus est dixisse quidem S. Thomam loco cit. ex 2. c. g. secundum Aristotelem Cœlum esse animatum, & animam vniri Cœlo vt formam, sed melius in p. p. dixisse posterius scribendo, sufficere in sententia Aristotelis ponere animam Cœlo vniri vt motorem mobili, quem sequuntur alij plures Thomistæ, quamuis Bannes p. p. cit. Ferrar. loco adducto 2. c. g. & alij præter dictam Caietani

tani

tani responsionem, varijs solutionibus conentur S. Thomæ verba conciliare.

353 Præterea præfata opinio, quæ tenet Cœlum esse animatum, à qua S. Tho. non omninò discessit, & cum August. in quodl. cit., & alibi dixit, quod non refert ad fidem vtrum sic (scilicet Cœlum esse animatum) vel alitèr sit (scilicet non esse animatum) videtur damnata in 5. Synodo, quæ est 2. Constantinopolitana, vt refert Nicephorus Calixtus Lib. 17. Cap. 27. per hæc verba. *Si quis dicit Cœlum, & Solem, & Lunam, & stellas, & aquas, quæ super Cœlos sunt animatas quasdam esse, & materiales virtutes, anathema sit.*

S. Thomæ doctrinæ veritas.

354 Mihi certa res est S. Thomam semper existimasse Aristotelis mentem fuisse Cęlum esse animatum, quod patet euidentèr ex locis supra adductis, nec vllam habet in contrarium vim allata ex p.p. ratio, qua inconstantia S. Doctoris in id opinando suspicari possit; nam ibi loquebatur de modo, quo animam vnire oporteret cœlesti corpori, & excluso, quod cœlesti corpori non oporteret animam vnire ad vegetandum, vel sentiendum, concludit nec oportere Animam vnire corpori cęlesti propter operationem intellectiuam. Vndè relinquebatur, quod si ei vnire animam oportebat, hoc erat tantùm propter motum, tunc dixit. *Ad hoc autem, quod moueat (scilicèt Anima) non oportet quod vniatur ei vt forma, sed per contactum virtutis, sicut motor vnitur mobili*, ad hoc probandum vtitur authoritate Aristotelis ex 8. Physic. & inquit, *postquam ostendit (scilicèt Philosophus) quod Primum mouens seipsum, componitur ex duabus partibus, quarum vna est mouens, & alia mota, assignans quomodo duæ partes vniuntur, dicit, quod per contactum, vel duorum ad inuicem, si vtrumq; sit corpus, vel vnius ad alterum,*

& non è conuerso, si vnum sit corpus, & aliud non corpus, Ex his patet S. Thomam non adduxisse authoritatem Aristotelis ad hunc finem, vt ostenderet eum opinasse Cœlum non esse animatum, contra id, quod aliàs dixerat, sed ad ostendendum consonum esse Aristotelis doctrinæ, quod Cœlum moueri possit à motore illo coniuncto, non vt forma informans, sed per contactum virtutis.

355 Vbi notandum est, dum à S. Tho. disputaretur de Cœlo, an esset animatum, semper dixit Aristotelem affirmatiuam habuisse sententiam, & hoc nunquam retractauit. Cum verò disputaretur de Cœlo quomodo moueretur, dixit Lib. 2. de Cœlo lect. 18. *& est attendendum, quod quantum ad hoc non refert vtrum ponamus corpora cœlestia moueri à substantijs intellectualibus coniunctis per modum animæ, vel etiam separatis; Non autem esset via soluendi, si mouerentur per solum naturæ impetum, sicut corpora grauia, & leuia*, indè elicitur S. Doctorem voluisse Cœlum non moueri per solum naturæ impetum, sed ab aliqua substantia apprehendente, vt dixit illo ar. 3. q. 70. p. p. ex mente Augustini; si postea hæc substantia diceretur forma Cœli, vel motor extrinsecus, parum referre iudicasse, cum eodem prorsus modo dicendum esset Cœlum moueri, vel animatum, vel inanimatum; ideoq; dixit S. Th. in fin. illius art. *Vnde inter ponentes ea (scilicèt corpora cœlestia) esse animata, & ponentes ea inanimata, parua, vel nulla differentia inuenitur in re, sed in voce tantùm.* Vbi patet eum non loqui de Cęlo quantum ad esse, nam tunc in re magna differentia fuisset, sed quantum ad motum eius, quia dum agimus de motu Cœli eodem modo philosophari debemus, siue animatum, siue inanimatum illud existimemus, cum ad hoc quicquid dicatur, parum referat, vt dixit S. Thomas.

356 Ad illud, quod dicitur S. Thomam non abhorruisse ab opinione tenente animam Cœlum informare, melius responderi non potest, quã ex eius verbis, quibus quodl.

12. ar. 8. suam mentem propalauit, habetur autem ibi. *Dicendum quod de hoc (scilicet, vtrum Cœlum sit animatum) diuersimodè sentiunt Doctores Ecclesiæ*, Hieron. *enim dicit super Ecclesiastem quod Sol est animatus, Damasc. hoc negat; & hæc differentia etiam est apud Philosophos; Plato enim, & Arist. ponunt corpora super cœlestia animata esse, Anaxagoras verò non; & ideo legitur fuisse occisus. Ego autem dico secundum Augustinum 2. super Gen. ad lit. quod non refert ad fidem vtrum sic vel alitèr sit; vndè hoc non determinat in Ench. addens quod si ponamus corpora cœlestia esse animata, non ideo erunt in iudicio tres ordines iudicandorum, scilicèt Angelorum, Hominum, & Animarum, quia illæ Animæ computabuntur cum Angelis, & hoc sensisse videtur ille, qui fecit Præfationèm, cum dicit, Cœli Cœlorumq; virtutes*. Igitur S. Tho. cum S. Augustino se continet in decernendo an affirmare, vel negare debeamus Cœlum esse animatum, cùm neutra pars ad fidem spectet. Veruntamèn S. Tho. opusc. 10. ar. 5. sic locutus est. *Vndè nisi moueantur (cœlestia corpora) à Deo immediatè, consequens est, vel sint animata cœlestia corpora, & moueantur à proprijs animabus, vel quod moueantur ab Angelis, quod melius dicitur*.

357 Nec adductus Canon. V. Synodi valet ad probandum esse de fide decisum Cœlum non esse animatum; Nam Siluius p. p. cit. negat illum Canonem esse illius generalis Concilij, cui attribuitur à Nicephoro, quod prius dixerant Conimbricenses de Cœlo c. 1. q. 1. art. 2. sed etiam dato, quod fuerit illius generalis Concilij Canon, non probat intentum, nam vt refert idem Nicephorus, Concilium illud damnare intendebat errorem Origenis, qui dicebat, vt ibidem refertur. *Ante corpus ipsum anima est, quæ quidem in Cœlis peccata commiserit, Ad hæc Cœlum, Solem, Lunam, Stellas, & Aquas, quæ supra Cœlos sunt, animatas, & rationabiles quasdam virtutes esse*. Vnde patet Originem intulisse, posito peccato Animarum ante corpora, animas, quæ pecca-

uerunt, fuisse destinatas in pœnam ad informanda corpora cœlestia, ad quod damnandum Concilium edidit illum Canonem, & hoc significat ly, *ad hæc*, quasi diceret Concilium, si quis dicit Cœlum &c. animatas quasdam esse, & materiales, siue rationales virtutes, scilicèt, eas, quas in pœnam in Cœlo &c. inclusas Origenes sentiebat, anathema sit. Vndè patet non esse articulum fidei Cœlum esse inanimatum, nec Augustini dictum, cui se conformat S. Tho., quo negat id ad fidem pertinere, falsum esse, nec opinionem Hieronymi aliorumq; SS. Doctorum, quos designatis locis recenset Grauina Præscript. Tom. 3. p. p. pag. 286. quæ statuit Cœlum animatum, hæreticam censendam esse, vel erroneam. Non desunt tamen graues Authores moderni, qui eam nota temeritatis afficiunt, à quibus S. Tho. non dissentiret, sed, ne SS. Patrum dicta notaret, explicitum suspendit assensum.





Ange-

XLV.

1 *Angelos simul cum creatura corporea non fuisse creatos dicere non est erroneum.*

2 *Angelos cum creatura corporea non fuisse creatos dicere est erroneum.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ.

Angelos simul cum creatura corporea non fuisse creatos dicere non est erroneum.

358 

TA S. Tho. p.p. q.61. ar.3. in cor. per hæc verba, *Circa hoc inuenitur duplex SS. Doctorum sententia; illa tamen probabilior videtur, quod Angeli simul cum creatura corporea sint creati.* Angeli enim sunt quædam pars Vniuersi &c. nulla autem pars perfecta est à suo toto separata; non est igitur probabile vt Deus, *cuius perfecta sunt opera*, vt dicitur Deut. 32. creaturam Angelicam seorsum ante alias creaturas creauerit, *quamuis contrarium non sit reputandum erroneum*, præcipuè propter

propter sententiam Gregorij Nazianzeni, cuius tanta est in doctrina christiana authoritas, vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasij documentis, vt Hieron. dicit, & opusc. 15. Cap. 17. iterum ait. *Secundum sententiam Augustini simul cum corporalibus creata est spiritualis creatura, &c. sed vt Damasc. dicit in 3. lib. quidam aiunt, quod antè omnem creationem, scilicet, corporalis creaturæ, geniti sunt Angeli &c. neutrum tamen horum æstimo esse sacræ doctrinæ contrariũ, quia nimis præsumptuosum videretur asserere Sanctos Ecclesiæ Doctores à sana doctrina veritatis deuiasse*, & de Pot. qu. 3. ar. 18. c. ait, recensita supradicta opinione de creatione spiritualis creaturæ ante corpoream. *Hæc autem opinio cum fuerit magnorum Doctorum, Basilij, Gregorij Nazianzeni, & quorundam aliorum, non est tanquam erronea reprobanda, sed si diligenter consideretur, alia opinio, quæ est Augustini, & aliorum Doctorum, quæ etiam modò communitèr tenetur, rationabilitèr inuenitur*. Idem innuit 2. d. 2. q. 1. ar. 3. in cor.

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita:

Angelos cum creatura corporea non fuisse creatos dicere est erroneum.

359 ITa definitum fuisse videtur in Conc. Lateranensi sub Innoc. III. & habetur in Decretalibus Cap. *Firmiter* de Sum. Trinit. & fide cathol. per hæc verba. *Creator omnium visibilium, & inuisibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis, vtramq; de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam, videlicet, & mun-*

mundanam. Ex hac Decretali sumpta ex generalis Concilij decisione argumentantur aliqui esse sententiam fidei catholicæ conformem, & per Ecclesiam determinatam, quod Angeli non sint producti antè creaturam corpoream, inter eos Ferrar. 2. c. g. Cap. 83. in fin. Melch. Cano, & Soto Maior apud Bannes p. p. qu. 61. ar. 1. nec desunt, qui, vt excusent D. Thomam, dixerint ipsum non vidisse Decretalem supradictam, quamuis inter eius opuscula recenseatur 23. quo illam Decretalem interpretatur; illud tamen opusculum non esse D. Thomæ existimarunt, quos suppresso nomine citat Caietanus in Comment. eiusdem quæst. p.p. idem sensisse Melchiorem, Canum refert Bannes vbi supra, sed de locis Lib. 5. Cap. 5. q. 4. in meo volumine id dixisse non inuenio, dum de hac re ageret ex professo; cum ergo illa opinio de productione Angelorum ante corpora sit contra Concilij Generalis decisionem, erit erronea; errauit igitur S. Thomas, dum docuit erroneam non esse.

S. Thomæ doctrinæ veritas:

360 Certum est S. Doctorem sententiam docentem Angelos simul cum creatura corporea in initio temporis creatos fuisse existimasse probabiliorem, & veram; immò oppositam dixit p. p. q. 61. ar. 1. non esse probabilem his verbis. *Non est igitur probabile vt Deus &c. creaturam Angelicam seorsum ante alias creaturas creauerit*. Nullam tamen illi oppositæ sententiæ notam censuræ Theologicæ adiunxit; quamuis mihi certum sit S. Doctorem vidisse, & interpretatum fuisse Decretum illud Cap. *Firmiter*; nam Decretalium Liber iam tunc erat iuris publici, & tanto Doctori, cui nullum scriptorum genus latuit, latere non poterat, quod patet insuper; cùm ex eo pluries in summa varias Constitutiones allegauerit, videlicèt, 1.2. qu. 96. ar. 5. c. 22. qu. 11. ar. 4.

ar. 4. in arg. s. c. qu. 12. ar. 2. q. 69. ar. 2. qu. 78. ar. 3 in 2. arg. qu. 87. 88. in corp. qu. 89. ar. 7. in 3. arg. qu. 98. ar. 3. in primo arg. & in postremis quæstionibus frequenter 3. p. q. 66. ar. 5. ad quartum ar. 9. ad quartum q. 74. ar. 4. in arg. s. c. & 7. ad tertium ar. 8. in corp. q. 77. ar. 8. ad primum q. 80. ar. 10. in 5. arg. quæst. 83. ar. 2. ad quintum, & ar. 5. ad 10., & alibi. Opusculum etiam, quo illud caput interpretatur, communiter semper fuit eidem S. Doctori attributum, vt patet in impressione operum S. Thomæ iussu Pij V. edita, & emendata; sed quia S. Doctor multum venerabatur Sanctos Patres, eorumq; authoritati plurimùm deferebat, perpetuò studuit eorum sententias, quas à recta fide deuiare, vel cognoscebat, vel suspicabatur, excusare, seu ita explicare, vt & sententia catholica inconcussa permaneret, & SS. Patrum existimatio ex verborum sono non periclitaretur: Agebatur hic de sententia SS. Doctorum, Gregorij Nazianz, Basilij, Hieron., Ambrosij, aliorumq; magni nominis, & sanctitatis virorum, modestissimus S. Doctor putauit nimis præsumptuosum esse dicere tot Sanctos Doctores iudi-
361 cio Ecclesiæ à fide deuiasse; ideoq; in opusc. prædicto interpretatus est Concilij Generalis intentionem fuisse, non quidem damnare opinionem dicentium Angelos ante mundum corporeum esse creatos; cum id tantum obiter, & aliud agens dixerit, sed voluerit profiteri dogma fidei contra damnatum iam errorem Origenis, qui ponebat Angelos de principali Dei intentione fuisse productos ante corpora, sed quibusdam eorum peccantibus, postea per accidens creatum esse mundum corporeum, non quia bonum esset illum creare, sed vt creaturis corporalibus tanquam quibusdam vinculis spirituales substantiæ alligarentur, quam S. Thomæ explicationem approbarunt omnes ferè Scholastici, præcipuè ex nostris Caiet. p.p. cit. Sixtus Senensis, Biblioth. Sanctæ lib. 5. amnot. 5. & ex Societ. Vasquez, Arubal, Gra-
362 nado, Alarcon, & alij, quos congessit Io: de S. Thom. loco

loco mox adducendo; tamen quidam Theologi illi opinioni de creatione Angelorum ante mundum notam temeritatis adiunxerunt, vt ex nostris Bannes loco cit. ex p.p. vbi dicit hanc esse communem sententiam modernorum Theologorum, & Cano de locis lib.5. vbi supra; ex Societ. verò Molina in p.p. q. 61. ar. 2. Suarez de Angelis lib. p. cap. 3. num. 15. Valentia Tomo p. q. 12. pun. 2. noster Io: de S. Tho. p.p. Tomo 2. disp.19. ar. 1. tantùm dixit illam opinionem hodiè vix aliquid probabilitatis habere, sed S. Thomas pro sua in SS. Doctores reuerentia, ab omni censura abstinuit. Igitur perspicuum est S. Thomam, ideò dixisse opinionem illam non esse erroneam, quia Ecclesiæ definitioni expresse adhuc non repugnat iuxta explicationem ab eodem S. Tho. traditam, & communi Ecclesię sensu receptam, vt loquitur Suarez loco cit. n. 14. vndè iure potuit vsu illius cautelæ famæ tot Sanctorum, doctissimorumq; Patrum pro sua pietate, & reuerentia consulere.




XLVI.

1 *Sententia S. Thomæ de vnitate formæ substantialis in homine, teste Ochamo, scandalosa fuit olim in Anglia: Immo & apud facultatem Parisiensem. Insuper erat Articulus XIV. quintæ partis erronei libelli de Euāgelio æterno, damnatus per Alexandrum IV.*

2 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio D. Thomæ attributa.

Sententia S. Thomæ de vnitate formæ substantialis in homine, teste Ochamo, scandalosa fuit olim in Anglia. Immò & apud facultatem Parisiensem. Insuper erat Articulus XIV. quintæ partis erronei libelli de Euangelio æterno, damnatus per Alexandrum IV.

363 

TA legitur in Nitela Franciscana pag. mihi 46. dum Fr. Dermicius Thadeus Minorita, adductis pluribus opinionibus S. Tho. in quibus, inquit, cōmuniter nō tenetur eius sentētia, S. Doctoris doctrinā in Ecclesia catholica summis laudibus elatam deprimere conatur.

S. Tho-

S. Thomæ doctrinæ veritas.

364 CVi ita respondet Io: de S. Thom. in vestibulo sui Comment. in p. p. summæ in Approbatione doctrinæ S. Thomæ disp. 2. art. 5. Hæc Propositio. *In homine est tantum vna forma*, est expressa D. Thomæ (scilicet, p.p. qu. 76. ar. 3. 2. c. g. Cap. 58. quæst. vn de An. art. 11. quodl. primo ar. 6. quodl. 11. ar. 5. opusc. 3. p. p. Cap. 90. 91. 92.) & communis inter Authores, & à nobis probata in lib. de An. quæst. 1 S. Doctor in opusc. 72. quod est de Concordantijs inquit, *quod verò de vnitate formæ in diuersis locis diximus, necessarium credimus, & eius contrarium impossibile, sed de hoc, qui in vno loco nos respexit, non statim sententiam ferat, cum multa in vnum contulerit, inconueniens reperiet.*

365 Opinionem Och., quæ ponit in homine plures animas formas substantiales corporis, esse saltim temerariam tenent nonnulli Doctores, qui super p.p. S. Tho. quæst. 76. art. 3. scripserunt.



XLVII.

1 *Summus Pontifex non potest committere Sacerdoti non Episcopo quod conferat Subdiaconatum, Diaconatum, & Sacerdotium.*

2 *Summus Pontifex potest committere Sacerdoti non Episcopo quod conferat Subdiaconatum, Diaconatum, & Sacerdotium.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Conclusio S. Thomæ attributa.

Summus Pontifex non potest committere Sacerdoti non Episcopo quod conferat Subdiaconatum, Diaconatum, & Sacerdotium.

366 

TA S. Tho. 4. d.25. q.1. ar. 1. ad tertium per hæc verba. *Nec iterum Sacerdos (non Episcopus ex Papæ commissione potest conferre) maiores Ordines, qui habent immediatã relationem ad Corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet maiorem potestatem quam simplex Sacerdos.* Sed Ordines maiores censentur esse Ordi-

Ordines sacri, videlicèt, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium ex Cap. *A multis* De ætate, & qualit. & Ord. præficiend. ergo in sententia S. Thomæ Papa non potest committere Sacerdoti non Episcopo, quod conferat Subdiaconatum, Diaconatum, & Sacerdotium.

Conclusio, quæ censetur S. Thomæ opposita.

Summus Pontifex potest committere Sacerdoti non Episcopo quod conferat Subdiaconatum, Diaconatum, & Sacerdotium.

367 PRobatur de Sacerdotio; nam Conc. Antiochenum Can. 10. sic statuit de Corepiscopis, qui erant simplices Sacerdotes. *Constituere autem his permittitur Lectores, & Subdiaconos, atq; Exorcistas, quibus sufficiat istorum tantum graduum licentiam accepisse, non autem Presbyterum, non Diaconum audeant ordinare præter conscientiam Episcopi Ciuitatis, vel Ecclesiæ, cui adiacens inuenitur.* Ergo simplices Sacerdotes ex huius Concilij authoritate poterant constituere Subdiaconos; Diaconos verò, & Presbyteros ordinare non poterant præter conscientiam Episcopi, ex quo infertur, quod cum conscientia Episcopi potuissent etiam Diaconum, & Presbyterum ordinare.

Probatur secundo, quia Eugenius Papa IV. dixit in Decreto pro Armenis, Episcopum esse ministrum ordinarium Sacramenti Ordinis; ergo ex commissione Papæ Sacerdos non Episcopus poterit esse minister omnium Ordinum, etiam Presbyteratus; cum non sit maior

maior ratio vnius quam alterius. Ita Diana par. 8. resol. 36. sequutus quosdam paucos Doctores, qui fuerunt huius opinionis.

Probatur de Diaconatu eadem Concilij Antiocheni authoritate, & insuper, quia si conceditur simplici Sacerdoti ordinare Presbyterum, multò magis concedenda est ei authoritas ordinandi Diaconum. Præterea eadem est ratio de Diaconatu, & Subdiaconatu, sed vt dicemus, Sacerdos non Episcopus ex commissione Papæ potest conferre Subdiaconatum; ergo & Diaconatum.

Tandem probatur ex praxi Abbatum Cistercij, quæ innititur Priuilegio illis concesso ab Innoc. VIII. conferendi Diaconatum, cuius praxis, & priuilegij fides est apud Caramuelem, quem adducit, & sequitur Diana vbi supra resol. 35.

Probatur de Subdiaconatu ex Concilij Antiocheni adducta authoritate, & ex priuilegijs à Summis Pontificibus concessis Abbatibus hunc Ordinem conferendi, de quibus priuilegijs dubitari non potest, cum Ledesma de eorum existentia certus factus fuerit Parisijs, vt ipse scripsit, & Victoria ea vidisse testetur. Cum igitur ex horum grauium Virorum assertione constet de priuilegiorum veritate, quis audebit dicere Summos Pontifices in hoc suam excessisse potestatem, & concessisse, quod concedere non poterant. Ita Doctores, quos congerit Diana vbi supra resol. 34.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

368 NVnquam S. Tho. dixit Sacerdotem non Episcopum ex commissione Papæ conferre non posse Subdiaconatum, sed tantùm asseruit scribendo super illam dist. 25. 4. sent. conferre non posse maiores Ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Christi; hi autem maiores Ordines in eius sententia

sunt

sunt tantùm Diaconatus, & Sacerdotium; Subdiaconatus enim, quamuis ab Innocent. III. in illo Cap. *A multis* inter Sacros Ordines fuerit collocatus, ideoque inter Maiores Ordines numeretur, non habet immediatam relationem ad Corpus Christi, sed ad Vasa consecrata.

369 Probatur, S. Tho. 4. d. 24. q. 2. ar. 1. q. 3. sic ait. *Ordo Sacer dicitur, qui habet aliquem actum circà rem aliquam consecratam, & sic sunt tantùm tres Ordines Sacri, scilicet Sacerdos, & Diaconus, qui habet actum circa Corpus Christi, & sanguinem consecratum, & Subdiaconus, qui habet actum circa Vasa consecrata,* & ar. 3. ad quintum iterum ait. *Sacerdos enim directè habet potestatem super Corpus Christi, Subdiaconus autem super Vasa tantùm, sed Diaconus super Corpus in Vase consecratum: Vndè eius non est tangere Corpus Christi, sed portare Corpus Christi in Patena, & dispensare Sanguinem cum Calice.* Igitur per S. Thomam simplex Sacerdos ex commissione Papæ conferre non potest illos Maiores Ordines, qui relationem immediatam habent ad Corpus Christi, sed Subdiaconus non habet hanc immediatam relationem ad Corpus Christi, sed tantùm ad Vasa consecrata, & habet actum solum super Calicem, non super contenta ex S. Tho. ibidem ar. 2. ad 6. Diaconus verò, cuius actus, vt ait S. Doct. est circa Corpus Christi consecratum, & Sacerdos, qui habet directam potestatem super Corpus Christi, habent immediatam relationem ad Corpus Christi. Ergo in sententia S. Thomæ tantùm hos duos Maiores Ordines, Diaconatum, scilicèt, & Sacerdotium conferre non poterit Sacerdos non Episcopus ex Papæ commissione: de Subdiaconatu autem non inuenitur S. Tho. id aliquando negasse.

370 Sententia S. Thomæ, quæ non agnoscit in Summo Pontif. potestatem committendi Sacerdoti non Episcopo ordinare Presbyteros, & Diaconos, est ferè communis, itaut dixerit Bellarm. Cont. Tomo 3. de Sac.

Ord.

Ord. Lib. primo Cap. 11. *Cum nunquam Ecclesia agnouerit Presbyteros, vel Diaconos nisi ab Episcopis ordinatos.*

371 Ratio D. Thomæ aptissima est ad id persuadendum, nam Papa, inquit S. Doctor, non habet maiorem potestatem super Corpus Christi consecrandum, vel consecratum, quam simplex Sacerdos; Ergo non potest simplici Sacerdoti committere, vt conferat Ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Christi sic acceptum, sed Sacerdos habet immediatam relationem ad Corpus Christi, quia illud consecrat, & Diaconus ad idem Corpus, quod consecratum gestat, & dispensat, vt dictum est. Ergo non potest Papa committere simplici Sacerdoti, quod conferat hos duos Ordines.

372 Ad authoritatem Concilij Antiocheni respondetur primo, Canones illius Concilij semper fuisse apud orthodoxos suspectos, vt potè ab Arianis editos, & collectos, vt notauit Baronius anno 341. Insuper illa verba: *præter conscientiam Episcopi*: non habentur in omnibus translationibus, nec leguntur in summa Conciliorum nostri Caranzæ, sed eis admissis vt adducuntur, adhuc Canon non prodest aduersarijs, cum Corepiscopos ibi Concilium dicat vt Episcopos, quod non demonstrat eos non Episcopos, quasi ly *vt* sit particula diminutiua, quod putauit Vasquez apud Dianam vbi supra, sed significat eos Episcopos, & vt tales Ordines conferre permissos in alienis Diœcesibus; Corepiscopi enim erant quidem Episcopi Ordine, & dignitate, sed in alienis Diœcesibus commorabantur, cum nullam haberent sibi designatam Diœcesim. Ita Siluius in Suppl. ad 3. p. quæst. 38. art. 1. ad tertium, & Bellarm. vbi supra cap. 7.

373 Priuilegia quoq; Summorum Pontificum, quæ adducuntur, apocrypha reputantur à Doctoribus; nunquam certè visum est talem potestatem Romanum Pontificem dedisse, inquit Azorius Inst. Mor. par. 2.

lib. 3.

lib. 5. cap. 48. §. *Decimosexto quaritur*.

374 Tandem negamus non esse maiorem rationem admittendi in simplici Sacerdote potestatem delegatam conferendi Ordinem Subdiaconatus, quam Diaconatus, & Sacerdotij; Nam, vt diximus, duo hi posteriores Ordines habent relationem immediatam ad Corpus Christi, subdiaconatus verò tantùm ad Vasa consecrata; ideoque fortasse antiquitùs inter Sacros Ordines Subdiaconatus non numerabatur, vt constat ex illo Cap. *A multis*, quod Innoc. III. condidit; & pluribus adductis obseruauit Barbosa in Collectanea Decreti dist. 60. Cap. *Nullus in Episcopum* §. *Sacros autem Ordines*.

375 Hinc patet Episcopum à Conc. Florent. appellatum fuisse ministrũ ordinarium Sacramenti Ordinis in hoc sensu, quod aliquos Ordines ipse solus de Iure diuino conferre possit, nec possit id alteri non Episcopo delegari, quod de Ordine Episcopatus constans, & indubia sententia est apud omnes, nec Diana illa resol. 36. id in sua latitudine negauit, de Diaconatu, & Sacerdotio quoque Sac. Conc. idem iudicasse suadet euidentèr, & ratio S. Thomæ, & authoritas ferè omnium Doctorum, qui vsque ad illud Concilij tempus scripserant, & quod Ecclesia alios Diaconos, & Presbyteros non cognouisset, sicut nec vsque modo cognouit, nisi ab Episcopis ordinatos, vt Bellarm. in Antiquis Ecclesiæ legibus, & moribus versatissimus testatus est.

XLVIII.

1 *Sacerdos excommunicatus non poteſt miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ in articulo mortis.*

2 *Sacerdos excommunicatus poteſt miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ in articulo mortis.*

3 *S. Thomæ doctrinæ veritas.*

Concluſio, quæ cenſetur S. Thomæ.

Sacerdos excommunicatus non poteſt miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ in articulo mortis.

376 TA S. Thom. 4. d. 19. qu. 1. art. 2. qu. 3. per hæc verba: *Vndè cum Eccleſia hæreticos, & Schiſmaticos, & alios huiuſmodi priuet ſubtrahendo ſubditos, vel ſimpliciter, vel quantum ad aliquid, quantum ad hoc, quo priuati ſunt, non poſſunt vſum clauium habere.*

Item 3. p. quæſt. 82. art. 7. ad ſecundum ait S. Tho. *Solus Baptiſmus permittitur eſſe ratus hæreticis, & Schiſmaticis, quia poſſunt licitè baptizare in articulo neceſſitatis; in nullo autem caſu licitè poſſunt Euchari-*

ſtiam

ſtiam conſecrare, vel alia Sacramenta conferre: Ergo nec Sacramentum Pœnitentiæ in articulo mortis.

Concluſio, quæ cenſetur S. Thomæ oppoſita.

Sacerdos excommunicatus poteſt miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ in articulo mortis.

377 ITa Sac. Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. ait enim ibi: *In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atq; adeò omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt:* idem docuit etiam ipſe S. Tho. 4. d. 20. q. 1. ar. 1. q 3. per hæc verba: *Quilibet Sacerdos quantum eſt de virtute clauium habet poteſtatem indifferentèr in omnes, & quantum ad omnia peccata; ſed quod non poſſit omnes ab omnibus peccatis abſoluere, hoc eſt, quia per ordinationem Eccleſiæ habet iuriſdictionē limitatam, vel omninò nullam habet; ſed quia neceſſitas legem non habet; ideo quando articulus neceſſitatis imminet, per Eccleſiæ ordinationem non impeditur quin abſoluere poſſit, ex quo habet claues etiam ſacramentalitèr, & tantùm conſequitur ex abſolutione alterius, ſicut ſi à proprio Sacerdote abſolueretur. Nec ſolùm à peccatis poteſt tunc à quolibet Sacerdote abſolui, ſed etiā ab excommunicatione à quocunq; ſit lata; quia hæc abſolutio etiam ad iuriſdictionem pertinet, quæ per legem ordinationis Eccleſiæ coarctatur.* Granado apud Dianam par. 8. Tract. p. reſol. 92. innuit S. Thomæ illam ſententiam expreſſam in priori Concluſione modò poſt Tridentinum ſuſtineri non poſſe.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

378 VEruntamen S. Tho. ſemper docuit, quod Conc. Tridentinum poſtea ſuis Decretis ſanxit; nam in 4. d. 19. vbi ſupra duo dixit, primo Eccleſiam ſubtrahere ab excommunicatis Sacerdotibus ſubditos, ſecundum per hoc priuare eos vſu clauium, ex quibus deducit quantum ad hoc quod priuati ſunt, non poſſe vſum clauium habere, in diſt. 20. poſtea loco cit. ait: Eccleſiam non ſubtrahere vſum clauium Sacerdotibus excommunicatis in articulo mortis, ſic enim loquitur: *ideo, quando articulus neceſſitatis imminet, per Eccleſiæ ordinationem non impeditur, quin (Sacerdos excommunicatus) abſoluere poſſit*: Ergo in ſententia S. Thomæ Sacerdotes excommunicati non priuantur in articulo mortis vſu clauium, & iuriſdictione abſoluendi.

379 Ad illud, quod adducitur ex 3. p. in contrarium, reſpondemus ibi S. Thomam exponere, quod dixerat Innocentius Papa, & habetur 1. qu. 1. Cap. *Arianos*, dixerat Pontifex: *Arianis ſolum baptiſma ratum eſſe permittimus*: hoc inquit S. Tho., ita exponendum eſt: *ſolus Baptiſmus permittitur eſſe ratus hæreticis, & Schiſmaticis, quia poſſunt licitè baptizare in articulo neceſſitatis. In nullo autem caſu licitè poſſunt Euchariſtiam conſecrare, vel alia Sacramenta conferre*: in eo, ſcilicèt, ſenſu, quo Pontifex loquebatur, nam Pontifex, inquit S. Thom. ibi, ratum dixit, non quod validum, ſed quod licitum ſignificat, & eſt eius ſenſus, per Eccleſiam excommunicatis non permittitur licitè, hoc eſt, manendo in ſtatu impœnitentis, nec ſaltìm in corde pœnitendo; alia Sacramenta conferre, ſicut permittitur baptizare. Vndè ex mente S. Thomæ cætera Sacramenta, quæ in articulo neceſſitatis conferunt excommunicati, valida ſunt, ſed non licitè in ſenſu iam dicto collata, quod explicat Siluius in Commentario

illius

illius articuli 7. q. 82. 3. p. per hæc verba : *Dicendum ergo videtur, quod hæretici, & Schismatici possint in articulo necessitatis licitè baptizare, etiamsi tales maneant, & impœnitentes, nullum autem aliud Sacramentum possint licitè conferre, nisi saltèm in corde pœniteant, quia in aliorum Sacramentorum administratione necessarium est, quod se exhibeant vt ministros Christi ad hoc specialiter deputatos, & consecratos; & ideo debent se illi conformare per veram cordis conuersionem, vt ostensum est art. 6. q. 64. In administratione verò Baptismi tempore necessitatis possunt agere, non vt personæ ad hoc deputatæ, sed vt subseruientes necessitati.*

380 Ioannes de S. Tho. in approbatione doctrinæ S. Thomæ, quæ legitur in primo Tom. Comm. eius in p. p. disp. 2. art. 4. sequentes propositiones adducit S. Thomæ attributas. Eiusdem Ioannis verbis transcriptis, quibus doctissimè S. Doctoris mentem expressit, obiecta confutabimus.

Deus futura libera solum coniecturaliter cognoscit.

381 EST mera calumnia, cum expresse D. Thomas p. p. q. 14. art. 13. probet Deum intuitiuè, & certò videre futura contingentia in seipsis, & non solum in sua causa.

Futura conditionata nõ cognoscit Deus nisi per coniecturam.

382 NVsquam hoc dixit S. Thom. sed neque Thomistæ, qui de hac re agunt, dixerunt Deum per coniecturam ea cognoscere ex parte cognoscentis, sed obiecta.

cta ipsa conditionata ex præcisa natura sua omnic ante decretum Dei non fundare certam notitiam, sed coniecturalem quantum est de se, quia non habent de se determinatam veritatem, sed indifferentiam ad vnam, vel alteram partem. Vndè ad veritatem determinandam in conditionatis, quando non apponitur conditio necessaria, seu necessitatem inferens, sed de se indifferens, & cum qua potest stare oppositum, oportet quod vel succurratur Decreto diuino eius determinatio, vel ipsa conditionalis veritas firmetur tanquam ex conditione ex ipso Decreto, vel ex eius efficacia; sublato autem omni Decreto, seu determinatione Dei, res manet incognoscibilis certò, & determinatè ex se, sed coniecturaliter; licèt Deus coniecturaliter non cognoscat, quia Decreto vtitur ad determinandam illam veritatem, de qua dicemus infra quæst. 14. agentes de diuina scientia.

Merita non reuiuiscunt.

383 CAlumniosè obijcitur, nam 3. p. q. 89. art. 5. oppositum determinat. De modo verò quo reuiuiscant, an in tota sua quantitate statim, an in minori iuxta dispositionem pœnitentis; & casu quod non tota quantitas statim detur, an alio tempore detur in hac vita, vel in morte, S. Tho. non determinat, sed iuxta varias opiniones etiam inter Thomistas variè sentitur, vt citato loco dicetur, & ibi videri potest Mag. Nuno, & Bannes in relectione de augmento charitatis, & 2. 2. quæst. 24. art. 6. quod verò in substantia merita reuiuiscant expresse dicit S. Thom. ibi.

Non

Non pertinet ad articulum fidei Deum esse.

384 NOn distinguitur hic sensus D. Thomæ, sed diminutè refertur, *Deum esse*, prout demonstratur ratione naturali, & attingitur etiam sine fide, dicit D. Thom. non esse articulum fidei, sed præambulum ad fidem, p. p. q. 2. ar. 2. ad primum *Deum esse*, vt supernaturalis author cum omnipotentia, & omnium prouidentia, & alijs, quæ ratione naturali non probantur, esse articulum fidei docet in qu. 14. de verit. ar. 9. ad octauum, & quod sic sit principale credibile, in quo alia credibilia continentur, docet 2. 2. qu. 1. art. 7. Manifestari tamen multa per fidem etiam quoad ea, quæ naturali ratione de Deo possunt cognosci, vt de facili etiam ab his, qui demonstrationes nesciunt, cognosci possint, docet D. Tho. p. p. q. 1. art. 1, & primo c. g. Cap. 4. & 6.

Formale vnionis hypostaticæ est quædam fictio.

385 IPsa obiectio est mera fictio; nam 3. p. qu. 2. art. 7. sic dicit D. Thomas: ***Hæc vnio, de qua loquimur, non est in Deo realitèr, sed secundum rationem tantum; in humana autem natura, quæ creatura quædam est, realitèr est, & ideo oportet dicere, quod sit quiddam creatum.*** Nullus autem ita insanus est, vt velit vnionem temporalem ponere realitèr existentem in Deo, cum sit immutabilis, sed solum in creatura realiter ponitur. An verò ista vnio sit solùm relatio, an modus aliquis absolutus medians inter humanitatem, & Verbum, an aliquid aliud, diuersa quæstio est, in quo variant

riant

riant Authores, & suo loco explicabitur, sufficit dicere, quod secundum D. Thomam non est aliquid fictum, sed reale, vt tenet se ex parte humanitatis, *Hucusque Ioannes de S. Thoma*, ad errores S.Thomæ attributos. Idem Author ibidẽ egregiè dilucidat sententias S. Doctoris, quas aduersarij fatentur non esse errores, sed dicunt iam communiter à Doctoribus improbari.

386 De quibusdam Articulis Parisiensibus editis contra doctrinam S. Thomæ agit Grauina Cath. Præscript. Tomo 3. p.p. pag. 271. quos narrat reijci validis responsionibus à F. Ioanne de Neapoli in m. s. Bibliothecæ Conuentus Neapolitani S. Dominici, quas responsiones etiam transcribit pag. 278. sed omittendi à nobis erant; futiles enim sunt, & circa errores Auerrois versantur; qui iam ab hominum memoria abierunt, nec S. Thomæ nisi euidenti mendacio possunt imponi.

387 Scripsit S. Thomas *opusculum contra errores Græcorum, & Catenam Auream in Sanctos Euangelistas, Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem*, in quibus operibus adducit plures Conciliorum, & Patrum authoritates, quidam expendentes has Conciliorum, & Patrum adductas authoritates, eas dicunt se comprahendisse, vel ab originalibus discrepantes, vel nullibi existentes, quapropter sugillant S. Doctorem de his duobus grauissimis erratis, videlicet, & quod Conciliorum, & Patrum authoritates deprauauerit, & quod eis aliquas attribuerit, quas nunquam dixisse certum esse putant.

388 Vtrumq; falsissimum est, & Primo falsum est S.Thomam deprauasse, vel effinxisse authoritates Conciliorum, & Patrum in suo *opusculo contra errores Græcorum*. Nam multa ex Conciliorum gestis nobis deesse certum est, & Patrum Græcorum opera, quæ apud nos modo sunt, quædam imperfecta esse comprehenduntur, vt in specie de Cyrilli Alexandrini operibus ingenuè fatentur, Bellarm. de Script. Eccles. & Posseuinus in App. Sac., quæ tamen ad manus S. Thomæ integra,

& per-

& perfecta fortasse peruenerunt, vndè in dicto opusc. & in 4. d. 24. q. 3. art. 2. qu. 3. in 2. arg. s. c. quædam adduxit S. Doctor pro Sum. Rom. Pontif. ex Cyrilli Thesaur. libris, quæ tunc in illis verè extitisse nemo dubitare potest, vt probant Posseuinus vbi supra, & Bellarm. lib. secundo de Romano Pont. cap. 15. sed tamen modò in eis non leguntur: Preterea S. Doctor ibi illas authoritates Patrum adduxit, quas legerat in Volumine sibi ab Vrbano Papa IV. transmisso, & eas expendit eo modo formatas, sicut in eodem Volumine referebantur. Vrbanus verò cùm à S. Doctore exigeret vt illas Patrum authoritates, prout in transmisso Volumine legebantur, exponeret, ipse, vt Pontificijs iussis satisfaceret, solicitus esse non debuit an in authographis inuenirentur, vel eo modo, quo afferebantur, essent ibidem expressæ.

Patet hanc fuisse ipsissimam S. Thomæ mentem ex verbis, quibus Sum. Pontifici rescripsit, & sunt quæ sequuntur: *Libellum ab excellentia vestra mihi exhibitum, Sanctissimè Pater Vrbane Papa, diligentèr perlegi, in quo inueni quamplurima ad nostræ fidei assertionem vtilia, & expressa: Consideraui autem quod eius fructus posset apud plurimos impediri propter quædam in authoritatibus SS. Patrum contènta, quæ dubia esse videntur; & vndè possent materiam ministrare errorum, & contentionis dare occasionem, & calumniæ; & ideo vt remota omni ambiguitate ex authoritatibus in prædicto libello contentis vera fidei fructus purissimus capiatur, proposui primo ea, quæ dubia esse videntur in authoritatibus prædictis, exponere, & postmodum ostendere quomodo ex eis veritas catholicæ fidei, & doceatur, & defendatur.*

Si igitur in opusculo prædicto essent aliquæ authoritates Patrum, vel vitiatæ, vel in eorum operibus non existentes, nullus prorsus ex hac causa error in S. Doctorem declinari potest; cum verè in Volumine sibi transmisso eo modo, quo eas exhibet legerentur, quas

Pontifici Sum. obſequens, interpretatus eſt, & ingeniosè ſtudio ſuo, cum dubia in fide aliqua continerent, vt catholicæ fidei non obeſſent, ſed potius deſeruirent, in recto, & catholico ſenſu explicauit.

389 Quod verò pertinet ad ea, in quibus in *Catena Aurea* S. Thomam erraſſe fingitur, diluit euidentèr ipſe S. Doctor in ſua Epiſtola dedicatoria ad Vrbanum IV., cuius commiſſione eandem Catenam edidit, in qua, vt ipſe ait, ex diuerſis Doctorum libris Euangelium Matthæi (deinde aliorum trium Euangeliſtarum vt patet) expoſitionem continuam compilauit; Vndè antiquitùs hæc Catena *Continuum* appellabatur; In illa enim Epiſtola S. Tho. ita ſcripſit: *Sed & in SS. Doctorum dictis hoc adbibui ſtudium, vt ſingulorum authorum nomina, nec non in quibus habeantur libris aſſumpta teſtimonia deſcribantur, hoc excepto, quod libros, & expoſitiones ſupra loca, quæ exponebantur, non oportebat ſpecialiter deſignari &c. In aſſumendis autem Sanctorum teſtimonijs, plerunq; oportuit aliqua reſcindi de medio ad prolixitatem vitandam, nec non ad manifeſtatiorem ſenſum, vel ſecundum congruentiam expoſitionis litteræ ordinem commutari. Interdum etiam ſenſum poſui, verba dimiſi, præcipuè in Homiliario Chriſoſtomi, propter hoc, quod eſt translatio vitioſa*: Ex his apodicticè patet S. Thomam fideliſſimum fuiſſe in adducendis in Catena Sanctorum Patrum authoritatibus, quæ ſi aliquando eorum authographis non correſpondent in verbis, id S. Doctor conſultò ſe feciſſe dicit; iudicauit enim dimittere verba, & ponere ſenſum, maximè, vbi translatio erat vitiata; Si verò quandoque aliqua reſcidit, in cauſa fuit, vt ipſemet ait, vt prolixitatem vitaret, & manifeſtatiorem ſenſum authoritati faceret, tandem ſi comprehendatur ordinem commutaſſe, hoc congruentia expoſitionis ipſo iudice exigebat. Concluditur ergo S. Doctorem in *opuſculo contra errores Græcorum*, & in *Catena Aurea* de nullo prorſus errore notari poſſe, eaque

omnia,

omnia, quæ quidam obtundunt, ipſum præuidiſſe, & rationem, quare ea præſtiterit, pleniſſimam obtrectatoribus reddidiſſe.

Errores Ianſeniani.

A S. Thoma improbati, & damnati.

390 INnocentius X. pridiè Kalendas Iunij 1653. damnauit, & anathematizauit quinque Propoſitiones, quas Cornelius Ianſenius Epiſcopus Iprenſis tradiderat in quodam ſuo opere impreſſo, cui Titulus *Auguſtinus*, eaſdem S. Thomam improbaſſe, & damnaſſe in ſuis libris locis indicatis infra demonſtrabimus; indè palàm fiet iuxta Pontificium oraculum Pij V. in litteris, quæ incipiunt *Mirabilis*, S. Doctoris vi, & veritate doctrinæ, hæreſes etiam deinceps exortas, ex eo tempore, quo cœleſtibus Ciuibus aſcriptus fuit, confuſas, & conuictas diſſipari.

Prima Propoſitio.

391 ALiqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; Deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.

Hanc Propoſitionem Sum. Pont. declarauit eſſe Temerariam, Impiam, Blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam, & vti talem ipſe damnauit: Vide Sac. Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. & Can. 18.

Eandem S. Thomas improbauit, & damnauit 1.2. q. 109. art. 4. ad ſecundum per hæc verba: *Illud, quod poſſumus cum auxilio diuino, non eſt nobis omnino impoſſibile, ſecundum illud Philoſophi in 3. Ethic. quæ*

per amicos possumus, aliqualiter nos possumus. Vndè Hieron. ibidem (hoc est ad Damasum) confitetur sic nostram liberam esse arbitrium, vt dicamus nos semper indigere Dei auxilio : & de verit. qu. 24. art. 14. ad primum iterum sic ait: *Illud, quod præcipit Deus, non est impossibile homini ad seruandum, quia & substantiam actus potest ex libero arbitrio seruare, & modum, quo eleuatur supra facultatem naturæ, prout scilicèt fit ex charitate, potest seruare ex dono gratiæ, non ex solo libero arbitrio.* : & ad secundum tandem improbat postremam Propositionis partem per hæc verba: *Rectè homo corripitur, qui præcepta non implet, quia ex eius negligentia est, quòd gratiam non habeat, per quam seruare potest mandata quantum ad modum, cum possit nihilominus per liberum arbitrium ea seruare quantum ad substantiam.*

Secunda Propositio.

Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

392 HAnc Propositionem Sum. Pontifex hæreticam declarauit, & vti talem damnauit: Vide Sac. Conc. Trid. sess. 6. Cap. 5. & Can. 4. & 8.

Eandem damnauit, & improbauit S. Tho. q. enim 2. de char. art. 12. ad octauum ait. *Quandiu aliquis sequitur motionem Spiritus Sancti, non peccat, sed quando resistit, tunc peccat*; quodl. 1. art. 7. ad secundum dicit: *& ideo sic Deus mouet mentem humanam ad bonum, vt tamen possit huic Dei motioni resistere*: & 4. d. 20. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 1. ad primum sic ait: *primum pertinet ad electionem peccantis, qua Deo resistit*: & Iob. 9. lect. prima ait: *sed impij, qui Deo resistunt*, & opusc. 17. cap. 9. ait: *Virtutem*

igitur

igitur Spiritus Sancti, vel ignorat, vel ei resistere nititur, quia Spiritus Sancti motum diuturnitate consilij detinere contendit: & Io. 9. lect. prima ait: *Impij, qui Deo resistunt,* & cap. 12. lect. 7. ait: *Causa huius quod Deus non infundit gratiam, est ex parte nostra, inquantum, scilicet, in nobis est aliquid gratiae diuinae repugnans:* Vide quae dicimus in 4. Propositione.

Tertia Propositio.

393 AD merendum, & demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Hanc Propositionem Sum. Pont. hæreticam declarauit, & vt talem damnauit: Vide Sac. Conc. Trid. vbi supra.

Idem præstitit vt Doctor S. Thomas de Malo qu. 6. art. vn. in c. dum dixit: *quidam posuerunt quod voluntas hominis ex necessitate mouetur ad aliquid agendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur &c. hæc autem opinio est haretica, tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus:* Vide Conclusionem IX.

Quarta Propositio.

394 SEmipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Hanc Propositionem Sum. Pont. declarauit falsam, & hæreticam, & vti talem damnauit, coincidit cum secunda Propositione.

S. Tho-

S. Thomas eandem iterum improbauit, dum de Pot. q. 2. art. 3. ad 13. ita loquitur: *Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, vt eam de necessitate ad vnum determinet, sicut determinat naturam; & ideò determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis*: Item quodl. primo art. 7. ad secundum dicit: *& ideo sic Deus mouet mentem humanam ad bonum, vt tandem possit huic Dei motioni resistere*: Item in 2. dist. 27. qu. 1. art. 4. ad quartum super illud Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*, inquit: *Hi sunt qui habent voluntatem resistentem gratiæ*, & in 4, d. 46. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 3. ad secundum ait: *Iustificare impium dicitur maius quam creare Cœlum, & Terram &c. vel inquantum in creatione non est aliquid, quod repugnet creanti, cum sit ex nihilo, sicut in iustificatione repugnat iustificanti inordinata voluntas*: Vndè quamuis opus iustificationis potentiam manifestet, specialitèr tamen commendat bonitatem, inquantum ipsa est sola, quæ ad iustificationem mouet, cum ex parte iustificandi magis inueniatur, quod iustificationi repugnet. Vide quæ diximus in secunda Propositione.

Quinta Propositio.

395 Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Hanc Propositionem Sum. Pont. falsam, temerariam, & scandalosam declarauit, eandemque intellectam eo sensu, vt Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, declarauit insuper impiam, blasphemam, contumeliosam, diuinæ pietati derogantem, & hæreticam, ac vti talem damnauit.

Eandem improbauit, & damnauit S. Tho. lect. 5. in Cap. 5. ad Rom. per hæc verba: *Iustificatio Christi trau-*

transit in iustificationem omnium hominum quantum ad sufficientiam, licèt quantum ad efficientiam procedat in solos fideles. Vndè dicitur 1. Tim.4. *Qui est Saluator omnium hominum, maximè autem fidelium*: & 1. ad Tim. 2. lect. 1. inquit, exponens illud primæ Io: 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, pro aliquibus, inquit, efficientèr, sed pro omnibus sufficienter, quia prætium sanguinis eius est sufficiens ad salutem omnium, sed non habet efficaciam nisi in elèctis propter impedimentum*: Idem in cap. 53. Esaiæ ibi. *Et ipse peccata multorum*: efficaciter, inquit, quamuis omnium sufficienter *tulit*: Item 3. p. q. 68. art. 5. c. ait: *manifestum est autem quod mors Christi satisfactoria fuit sufficientèr, pro peccatis, non solum nostris, sed etiam totius mundi*, vt dicitur 1. Io: 2. *& ideo ei, qui baptizatur, pro quibuscumq; peccatis, non est aliqua satisfactio iniungenda; hoc enim esset iniuriam facere passioni, & morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum*: & qu. 69. art. 7. ad secundum ait: *Sicut passio Christi prodest quidem omnibus quantum ad sufficientiam, & remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ, sed effectum non habet nisi in illis, qui passioni Christi coniunguntur per fidem, & charitatem*: & super Euangelium Ioannis Cap. 3. lect. 6. inquit: *vt, scilicet, gratia Christi non solum sufficiat ad salutem hominum aliquorum, sed hominum totius mundi, ac etiam plurium mundorum, si essent*: Item 3. p. qu. 48. art. 2. ait: *Passio Christi non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis*: Item ad Ephes. p. lect. 3. *Dico quod secundum diuitias gratiæ eius omnes fideles communitèr tam vos, quam nos habemus redemptionem, & remissionem peccatorum per sanguinem Christi*: Item 1. Cor. 11. lect. 6. *effusus est siquidem sanguis in remissionem peccatorum, non solum pro multis, sed etiam pro omnibus*, secundum illud 1. Io: 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*,

ſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Item 4. d. 8. q. 2. art. 2. quæſtiuncula 3. ad ſeptimum: *Sanguis Chriſti effuſus eſt pro omnibus quantum ad ſufficientiam, ſed pro electis tantum quoad efficaciam*: Item Io: primo lect. 8. *In quantum Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, & ſic ſibi competit gratiam communicare alijs, tam in mentibus hominum operando virtutem per gratiæ infuſionem, quam merendo per doctrinam, & opera, & paſſiones mortis, ſuperabundantem gratiam infinitis mundis ſi eſſent*: Item ad Hebræos 2. lect. 3. ſuper illud: *Pro omnibus guſtaret mortem*: ait: Pro omnibus autem dupliciter poteſt intelligi, vel, vt ſit diſtributio accomoda, ſcilicet, pro omnibus prædeſtinatis; pro iſtis enim tantum habet efficaciam, vel abſolutè pro omnibus quantum ad ſufficientiam; ſufficiens enim quantum ad ſe omnibus eſt, 1. Tim. 4. *Quia eſt Saluator omnium, maximè autem fidelium*; Chriſoſtomus, Pro omnibus hominibus generalitèr mortuus eſt, quia omnibus prætium ſufficit.

Laus Deo, immaculatæ Virgini Deiparę, & S. Thomæ Aquinati S.R.E. Doctori abiaſto.


INDEX



INDEX

Rerum notabilium in Prima Parte Manualis huius.

Numerus numerum marginalem designat, quia numerus 331. omissus est, & numerus 332. loco ipsius substitutus, ab hoc numero necesse est recurrere ad numerum designato immediatè succedentem.


Bbas Vide V. *ordo*.

Affinitas quando ex Matrimonio emergat 278. & seq. in duplici sensu accipitur 180. vide V. *Matrimonium*.

S. *Ambrosius* sensit Angelos creatos fuisse ante creaturam corpoream 359.

Anaxagoras Philosophus occisus est, quia negabat Cœlum esse animatum 355.

Angelus simul cum creatura corporea crea-

tus fuit, 358. & ſeq. oppoſitum aliqui dixerunt 357. dubitatur an id notari debeat aliqua Cenſura 358. & ſeq. Angeli propriè loquendo nõ fuerunt redempti à Chriſto Domino 240. vide V: *Immaterialia*.

Argumentum ſoluitur cum Concluſio defenditur, etiamſi non probetur 149.

Ariſtotelis ſententia de Zonæ æquinoctialis inhabitabilitate 341. & de Cœlorum animatione 349. & ſeq.

S. *Auguſtinus* dixit Angelos cum creatura corporea fuiſſe creatos 357. quid ſenſerit de Cœlorum animatione 355. & de authoritate Libri Eccleſiaſtici 337. & ſeq. dictum eius exponitur 120. in quo ſenſu ſumpſerit aliquando vocabulum libertatis 122.

S. *Baſilius* ſenſit Angelos creatos fuiſſe ante creaturam corpoream 357.

Beati non merentur, & quare 112. & ſeq. vide V. *Sancti*.

Cœlum an dici poſſit animatum 349. & ſeq. quæ fuerit Ariſtotelis ſententia. ibidem, inter Cœlos datur ne ſpatium diuiſibile? 344. & ſeq. numerus Cœlorum expenditur, 348. nulla ratio cogit, vt ſaluetur eorum motus, eos ponere animatos 353. & ſeq. ceſſante motu

Cœli; in quo sensu dicenda sint corpora incorruptibilia, 133. & seq.

Canonizatio Sanctorum vide V. *Sancti* & V. *Pontifex Romanus*.

Christus Dominus descendit ad Inferos 214. & seq. ad quæ loca Inferni descenderit 215. & seq. quare voluerit sepeliri 225. & seq. nulla ei pœna fuit sepeliri, vel esse in Inferno, 222. & seq. sensus, in quo dicitur mortuus nostros assumpsisse defectus 228. & eius Corpus viuum, & mortuum idem non fuisse 229. & seq. Christi libertas ad merendum exponitur. 108. & seq. vide V. *Filius Dei*, & V. *Verbum Incarnatum*.

Clerici in qua ætate possint prima Tonsura, & Minoribus Ordinibus initiari 315. & seq. si euadant Hæretici, vel Schismatici, quomodo iurisdictionem amittant 311. & seq. vide V. *Irregularitas*.

Concilium Tridentinum decreuit omnes Sacerdotes posse in articulo mortis à quibusuis peccatis, & Censuris absoluere 376. abstulit impedimentum, quod oriebatur ex Sponsalibus irritis. 272. exponitur quid senserit de ordine Episcopatus 257. & seq. & de tempore quo Christus Dominus suum corpus sub

ſpeciebus panis conſecrauit 147. 156. irritat matrimonia clandeſtina, quæ antea rata fuiſſe declarauit 9. Societatis IESV Clericis fauet 2. diſcrimen quoddam poſuit inter Votum in Religione, & aliud in ſuſceptione Ordinis Sacri emiſſum 15. 35.

Antiocheni Can. 10. exponitur 366. 371. 373. *Lateranenſis* ſub Innoc. III. Cap. firmiter adducitur, & exponitur 358. 360.

Arauxicanum, & Meleuitanum agunt de veritate transfuſionis peccati originalis 235. *Florentinum*, & *Lugdunenſe* ſub Gregorio X. decreuerunt Spiritum Sanctum à Patre, & Filio vno principio vnica ſpiratione procedere 78. 83. *Florentinum*, & *Tridentinum* quid definierint de interna intentione miniſtri Sacramentorum 189. *Quinta Synodus* quid dixerit de Cœlorum animatione 352. 356. quidam eius Canon dubius 356. *vj. Synodi* ſententia exponitur 132. 136. *vij. Synodus* quid ſenſerit de adoratione Imaginis Chriſti Domini 208. & ſeq. *viij. Synodi* Can. 10. exponitur 312. 314.

Congregationis Tridentini Concilij interpratis decreta de impedimento, quod oritur ex Matrimonio rato 277. & ſeq.

Con-

Consecratio rei inanimatæ comparatur cum consecratione, quæ fit in dispensatione Votorum religiosorum 26. 29. 32. 51. vide V. *Eucharistia*.

Continentiæ debitum est essentialiter annexum statui religioso 24. 28. 29. 33. & seq. 50.

Contritionis actus non elicitur sine gratia 100. vide V. *Pœnitentia*.

Corepiscopi qui essent 371.

Cornelius Centurio quomodo se præparauerit ad gratiam 102.

Creare potest Deus alium mundum 128. & seq. possibilis ne sit Creatura existens absoluta necessitate 131. & seq.

S. *Crucis* adoratio 213.

Decretalis Clementina de Consang. exponitur 280. vide V. *Pontifex Romanus*.

Deus est solus immutabilis 134. 137. dum mouet humanam voluntatem, eam non cogit 96. 119. in quo sensu dicatur res diuinas non esse conuertendas in vsus hominum 43. vide V. *Infidelis*.

Dominicus Grauina affert quosdam Articulos Parisienses, quibus respondit Ioannes de Neapoli 385.

Ecclesia Romana si tolerat aliqua mala, ea om-

omninò reprobat 248. 254. vide V. *Pontifex Romanus*.

Ecclesiastici liber est sacer, & Canonicus 335. & seq.

Episcopatus est Ordo, & Sacramentum 256. & seq. comparatur cum Sacerdotio 259. & seq. supponit Sacerdotium 268. quæ sit gratia Episcopalis 262. manuum impositio in Episcopali ordinatione, ibidem, & seq. potestas Episcopalis quomodo sit character 264. & seq. Episcopatui quo iure sit annexa iurisdictio 28. Episcoporum potestas in dispensandis Votis, ibi, & seq. quæ committere possint, & non possint Episcopi simplici Sacerdoti, ibidem, vide *V. Ordo*.

Eucharistiæ Sacramentum non est solum actualis consecratio 140. & seq. eius discrimen ab alijs Sacramentis 144. species in quo sensu dicantur caro 144. Sanctificatio permanens in ea est Sacramentum 145. tandiu manet sub speciebus Corpus Christi, quandiù species essentialiter conseruantur 180. & seq. per additionem, seu diuisionem tantum specierum non desinit sub ipsis esse Corpus Christi 181. quibus verbis, & quando Christus Dominus consecrauerit 146. & seq. error Græcorum in
forma

forma consecrationis panis 163. quædam disparitas inter formas consecrationis vtriusque speciei 162. differitur de forma consecrationis sanguinis 157. & seq. hæc forma comparatur cum forma Sacramenti Pœnitentiæ 168. & seq. Necessarium est in hac forma aliquo modo exprimere effusionem sanguinis, 164. quomodo sanguis Christi à tempore Cœnæ ad mortem deperditus fuerit effusus, 165. & seq. speciebus vini consecrati, si admisceatur vinum non consecratum, an desinat sub illis speciebus esse Corpus Christi 177. & seq.

Cum excommunicatis quãdo possimus communicare 313.

Filius Dei assumpsit hominem, &, *ille homo cœpit esse Deus*, sunt propositiones, quæ expenduntur, 84. & seq. 87. & seq. quam vnionem constituerent Hæretici inter personam Verbi, & assumptam humanitatem, 86.

Gratia Dei vide V. *Præparatio ad gratiam*.

Græcorum mos post Calicis consecrationem 178. 186. eorum error in forma consecrationis panis 163. opusc. contra errores Græcorum vindicatio 386.

Gratiani dictum dist. 76. c. *scire* defenditur 331.

S. Gre-

S. Gregorius Magnus quid senserit de Episcopatus Sacramento 270.

S. Gregorius Nazianzenus scripsit Angelos creatos fuisse ante creaturam corpoream 357.

S. Hieronymus sensit Angelos creatos fuisse ante creaturam corpoream 359.

In Homine est tantum vna forma substantialis, 363.

Horæ Canonicæ olim persoluendæ erant in die citiùs quam modò 319.

Iansenianas propositiones damnatas ab Innoc. X. S. Thomas hæreticas censuit 106. & seq. 389. & seq.

Ieiunium peruigilij Pentecostes quo iure sit indictum 329. & seq. dictum illud, *nullum est Ieiunium tempore paschali*, exponitur 329. & seq.

Imago Christi Domini adoratur adoratione latriæ 207. & seq. Imaginum adoratio exponitur 210. & seq. Imagines Sacræ secundum locum tenent post personas sacras, & Sacramenta 212.

Immaterialia, vt Angelus, & Anima rationalis, in quo sensu dicantur incorruptibilia 133. & seq.

Infideles quomodo cognoscant verũ Deum

123.

123. & seq. Fideles, & infideles errare possunt inuincibilitèr circa Deum, sed diuerso modo 126.

Intentio Ministri Sacramenti interna, seu mentalis, & externa 188. & seq. implicita, & explicita 199. & seq. peruersa duplex 192. Actualis, Virtualis, & Habitualis 190. Intentio interna, seu mentalis requiritur in Ministro ad perficiendum Sacramentum 188. & seq. quomodo hæc intentio nota possit esse suscipienti Sacramentum 197. & seq. Intentio conferendi Secramentum, & conferendi effectum Sacramenti 190. deficiente intentione Ministri an Christus Dominus suppleat vltimum effectum Sacramenti 194. & seq.

Ioannes de S. Thoma demonstrat plures errores falsò fuisse S. Thomæ attributos 379. & seq.

Irregularitatem modò non incurrit Clericus, si alium occidat vt se defendat 320. & seq.

S. Leo Papa quid senserit de Sacramento Episcopatus 270.

Libertas à necessitate requiritur ad merendum, vel demerendum 106. quomodo inueniatur in actu elicito in primo instanti 110. & 118. quæ necessitas tollat libertatem 112. & seq.

ſeq. vide *V. Neceſſitas*, & V. *Voluntas*.

De B. Virginis Genitricis Dei Mariæ feſto Conceptionis agitur 245. & ſeq. ſententiæ generales non præiudicant priuilegio immunitatis B. Virginis 230. eius glorioſa reſurrectio ſecundum carnem ante communem omnium reſurrectionē 238. fuit per Chriſtum redempta 239. & ſeq eius Sanctitas in conceptione negari numquam potuit 252.

Ex Matrimonio rato quodnam impedimentum oriatur, 276. & ſeq. Matrimonij rati, & conſumati diuerſa ſignificatio, & indiſſolubilitas 285. quo iure Votum ſolemne dirimat Matrimonium ratum 14. 15. 35. quomodò idem competere poſſit Voto ſimplici, ibidem, de Matrimonio clandeſtino Decreta S. Concilij Tridentini 9. Matrimonium quomodo perſeueret in Coniugibus pari conſenſu religioſis 72. vide *V. Pontifex Romanus*, & *V. Votum*.

Meritum vide *V. Libertas*.

Mori ne debeant omnes? 237. in caſu, quo quis non moreretur, adhuc eſſet à Chriſto Domino redemptus 241. comparantur neceſſitates moriendi, & contrahendi peccatum originale 242.

Neceſſitas alia logica, alia phyſica 133. Actus ne-

necessarius incoactus non est neq; liber neque meritorius 106. Actus sponte factus non est semper necessarius 109. Necessitas consequens obedientiam non est necessitas coactionis 114. Necessitas ex naturali inclinatione procedens 112. vide *V. Libertas*, & *V. Voluntas*.

Obedientia vide *V. Necessitas*.

Ochami opinio de pluralitate formarum substantialium in homine 364.

Ordo Sacer ex quo dicatur 368. qui sint Ordines maiores 365. & sacri 368. Subdiaconatus olim non numerabatur inter Ordines sacros 373. inter Ordines Sacerdotium quomodo præcipuum locum obtineat 260. manuum impositio in Ordinum quorundam collatione 262.& seq. Ordinis character 266. & seq. Ordinatus ab Episcopo non baptizato nullum conficeret Sacramentum, ad quod esset ordinatus 201. & seq. quomodo Ecclesia in tali casu ab errore præseruetur 20. 205. de ordinatis per saltum 268. vide *V. Episcopatus*.

Oseas Propheta licitè accessit ex diuinò imperio ad non suam 54.

Paupertatis religiosæ finis 66. & seq. debet esse proportionatus religioni 74. modi viuendi in paupertate 68. ex perfectiori paupertate non

inducitur perfectior religio 67. paupertas religiosa, abdicato vsu, cohæret cum dominio 69. & seq. religiosi de Iure Ecclesiastico possident in communi 70. & seq. periculum amittendi religiosam paupertatem 71.

Pœnitentiæ Sacramenti Minister est Sacerdos 269. de eius forma 162. 168. & seq. per omnes eius partes materiales tollitur pęna 172. & seq. Sacerdos etiam excommunicatus potest ministrare hoc Sacramentum in articulo mortis 376. & seq.

S. Petrus Damianus quid senserit de Episcopatus Sacramento 258. & seq.

Pontifex Romanus dispensare potest super Voto solemni Religionis 38. 46. 60. & seq. & super Matrimonio rato 284. & seq. omnia vota sunt ab ipso dispensabilia 59. in pluribus solus ipse dispensat 58. non potest errare in Canonizatione Sanctorum 289. & seq. nec in cæteris quæ definit 295. quam potestatem concedere possit simplici Sacerdoti conferendi maiores Ordines 365. & seq.

Prælatus, si corrigat quando est in peccato occulto, an peccet 302. & seq.

Præparare se ad gratiam homo non potest sine gratuito Dei auxilio 93. & seq. hoc auxi-

lium

lium cuius ſit ordinis 104. ad hanc præparationem non exigitur ſemper infuſus habitus gratiæ 96. nutruus in ſiluis quomodo poſſit ſe ad gratiam præparare 101.

Profeſſio religioſa exponitur 13. 18. & ſeq. vide *V. Religio*, & *V. Votum*.

De Propitiatorij Tabula 332. & ſeq.

Rabani ſententia de numero Cœlorum 348.

Religio vide V. *Paupertas* Religionis Votum ſolemne irritat Matrimonium ratum 285. profeſſionis religioſæ ſolemnitas 27. diſpenſatis Votis ſolemnibus ſoluitur religionis ſtatus 49. & ſeq. olim nulla religio erat, in qua non profiteretur ſolemnitèr 6. & ſeq. Vota religionis ſimplicia poterant etiam tunc eſſe religionis ſubſtantialia 11. Religionis ſtatus habet ſibi annexum eſſentialiter debitum cōtinentiæ 24. vide V. *Societatis IESV*.

Reliquiæ Sanctorum vide *V. Sancti*.

Sine Sacramento haberi ne poſſit vltimus effectus eius? 204. per Angelos bonos miniſtrata ſunt aliquandò Sacramenta 206. vide *V. Intentio*.

Sanctorum beatitudo poſt corporum reſurrectionem augeri ne poſſit intenſiuè 305. & ſeq. Benedicti 12. Conſtitutio expenditur 309. & ſeq.

& seq. de Sanctorum reliquijs 303. & seq. de Sanctorum Canonizatione, vide *V. Pontifex Romanus*.

Sfortiæ Pallauicini insignis Cardinalis Historia Concilij Tridentini laudatur 258.

Spiritus Sancti processio à Patre,& Filio 77. & seq. vocabulum *Spirator* sumitur dupliciter 80. spiratio actiua vna est in Patre,& Filio 81. & seq.

Sponsalia irrita olim inducebant impedimentum publicæ honestatis 272. illud abstulit Concilium Tridentinum ibidem.

Societatis IESV Vota simplicia religionis substantialia 2.& seq. quomodo dirimant Matrimonium ratum 16.35. Votum simplex Paupertatis in Societate cohæret cum dominio 65. & seq.

Verbum incarnatum in quo sensu dicatur persona composita 92. in eo ponere duas hypostases est hæreticum 90. vide *V. Filius Dei*, & *V. Christus*.

Voluntas mouetur à Deo sine coactione 96. mota à primo agente se mouet 119. de eius libertate 106. & seq.

Votum de re necessaria necessitate præcepti exponitur 325.& seq. solemnitas Voti duplex

20.

20. & ſeq. quomodo ſit annexa ſtatui religionis 25. & ſeq. Votum ſimplex quomodo faciat religioſum 4. & ſeq. In omni Voto religionis eſt quædam ſolemnitas 12. Voti ſolemnis diſpenſabilitas 47. Vota maiora, & perpetua explicantur 63. Votum ſubſtantiale religionis, & emiſſum in ſuſceptione Ordinis Sacri, quo iure dirimant Matrimonium 14. & ſeq. vide *V. Paupertas V. Pontifex Romanus*, & *V. Religio*.

Zona æquinoctialis quomodo olim inhabitabilis diceretur 339. & ſeq.

F I N I S.